

f



Deel. Kl. 356 ds

4

TERTIA
SACR. INSTITUTIONUM
EXERCITATIO,
DE
TUTELIS ET
CURA

QUAM

DIVINA ANNVENTE GRATIA

PRÆSIDE

NOBILISSIMO, AMPLISSIMO, ATQUE
CONSULTISSIMO VIRO

Dn. GEORGIO ENGELBRECHTO
J. U. D. ac Profess. Digest. Publ. Ordin.

Fautore, Patrono ac Præceptore,
æternum devenerando.

Publico eruditorum examini submittet

IN FULEO MAJORI

DIE XXIX. JUNII

CHRISTOPHORUS SCHOTTELIUS
Guelphicus.

—(o)—

HELMESTADII,

Typis HENRICI DAVIDIS MULLERI Acad. Typogr.

M DC LXXIX.



C. D.

THESIS I.



aturam conservationis appetitum non tantum sui sed etiam speciei unicuique indidisse, & naturæ & omnium sapientum constans est principium. Quæ ad sui potissimum conservationem faciunt, eò pertinent jura in societate herili observanda; ipsa vero speciei conservatio obtinetur tum per generationem, cujus gratia est societas conjugalitatis & jura eò spectantia, tum vero maxime per educationem; parum enim est genuisse nisi bene instruas, nec vita beneficium magnum est sed bona vita, unde Plut. præstare non nasci, quam fieri malum noxiâ curatoris vel Custodis; Huic autem inservit societas patria & jura in illa observanda, de quibus omnibus jam tum egit Imperator. Cum vero officium paternum in educanda prole aliquando per mortem parentum velemancipationem liberorum præmaturam intercipiatur & liberi sui juris quidem facti, *inst. quibus mod. pat. pot. solv.* nondum tamen ob infirmam ætatem *l. i. ff. de Tut. consilio l. i. ff. de min.* tantum valeant, ut sese regere resque suas rite administrare queant, ipsa naturalis ratio necessum dicitur *§. 6. inst. de Attil. Tut.* ut ipsi aliorum prudentia & auxilio regantur, per quod eorum saluti ita prospiciatur, ne vel

Tit. XIII

L. I.

Connexio
materie
cum ante-
ced.

Fundam.
materie.

I. J. Natu-
rae.



II. J. Gent. contra proprium, ad quem nati sunt, vel ipsius Civitatis, cuius membra sunt, finem in magnam utriusque perniciem excrescant; Ac propterea vix ulla est Respubl. quæ liberorum parentibus orbatorum educationi non maximè studuerit. Quam providam eorum in sua Rep. habuerit curam Summus Legislator Deus Opt. Max., hinc & inde testantur Sacræ literæ cum gravi comminatione eorum, qui contra eorum salutem quicquam tentare audent. *Exod. c. 22. v. 22, Esai. 1. v. 17. 1. Tim. 5. v. 4.* Ubi Apostolus suo discipulo quam maxime commendat educationem & informationem pupillorum. Idem testatur de Decemviris Romanis Orphanotrophix sollicitè prospicientibus *Liv. l. 3. c. 34.* uti & hoc indicat ipsa XII. Tabb. lex, uti quis legasset super pecunia *tutela ve* rei suæ ita jus esto. *Ulpian. t. 12. §. 13.* Pari sollicitudine posteriores Romani eorumq; Imperatores circa hanc partem solliciti fuerunt. *l. 2. §. 2. ff. q. pet. tut. l. Cur. Nov. 72.* quin nec minori impuberum educatio curæ fuit ipsis nostris Romano Germanicis Imperatoribus varia quæ eo faciunt jura constituentibus. *Ref. Pol. de anno 1548. t. 31. & de anno 1577. t. 32.*

II.

§. 1. & 2. Fundatâ sic in ipso tum Naturæ tum Gentium morationum & Divino & Civili Jure materiâ nostrâ, qua unus debet regi, alter vero prudentia sua minus prudentem pupillum regere *v. Aristoteles l. 1. Pol. c. 3. & 4.* ad negotium ipsum quod inter hos intercedit transimus, quod communi nomine vocatur Tutela die Vormundschaft. *Est vero Tutela vis ac potestas in capite libero ad tuendū eum qui per etatē se ipsum regere nequit, Jure Civili data ac permissa (1) dicitur vis ac potestas, ubi vocab. potestatis non strictè*

Tutelæ
 Definitio.

strictè sumitur pro herili vel paterna potestate sed pro aliqua singulari autoritate & facultate. *arg. l. 17. ff. de LL.* neque enim Tutor debet esse merus consiliarius impuberis sed etiam simul imperativam quandam potestatem habere debet, ut impuberem etiam invitum ad id, quod spontè facere nolit, cogere queat, quæ aliqualis potestas & inde probatur, quod tutela sit munus publicum, *init. inffit. de excus. tut. l. Cur. l. 9. ff. de bis qui sui l. alieni juris sunt l. 1. §. 4. l. ult. §. 1. ff. de muner. & honor.* Omne autem munus Publicum conjunctum est cum quadam potestate, E. quoque tutela. Additur vis, quod vocabulum est *συνόνυμον* ipsius potestatis, ita ut unum idemque hic vis ac potestas denotet & unum alterum quasi explicet, dum per posterius prius emolliatur, ut scil. non intelligenda sit ista vis quæ solet esse conjuncta cum Dominica societate sed quædam facultas & jus cum autoritate aliquid faciendi *Vinn. ad b. §.* Consistit vero illa in duobus præcipue, nempe primario in gubernatione personæ pupilli *§. 1. b. §. 4. seqq. tit. (2)* in administratione bonorum, quæ tamen secundaria officii tutoris pars videtur esse *d. §. 4.* Porro dicitur *in Capite libero*: per quæ verba nonnulli volunt denotari pupillum, nonnulli vero tutorem, parum vero interest ad quem illa referas, uterque enim debet esse liber & licet servus possit esse tutor, tamen non ut servus, tutor est, sed simulac constituitur est liber *§. 1. t. seq.* Ut vero optime etiam possint intelligi de pupillo, in commoda tamen videtur per hunc modum loquendi latinitas cum latinus dicatur vis ac potestas in caput liberum.

III.

(3) Dicitur *ad tuendum eum*: quibus verbis denotatur officium tutoris de quo paulo ante, ut & finis ipsius Tutelæ

Tutela tri-
plex.

relæ de quibus omnibus in seqq. plura, & inde est quod ipse tutor ab hoc suo officio nempe tuendo vel defendendo pupillum nomen suum habeat §. 2. h. & Germ. dicitur ein Vormund/Vorsteher/Pflegevater it. Pfleger/ qui tueri ipsum quemadmodum parens debeat: Quando itaque nonnulli tutores quasi tollitores à tollendo dicendos esse putant, hos non veram etymologiam sed insignem perfidiam maleversantium tutorum repræsentare existimamus. (4) dicitur *Jure Civili data ac permessa*: per hæc verba triplex tutelæ species indigitatur; Cum enim Tutela sit munus & officium Publicum, omne autem officium publicum vel *sorte* vel *electione* & *suffragiis* deferatur v. *Aristoteles l. 4. Pol. c. 16.* Ast *sorte* tutores non constituantur, nihil aliud reliquum manet quam ut Tutela *electione* deferatur. Aut igitur *lex* eligit tutores & vocatur hæc species Tutelæ *legitima* & denotatur per verba *J. Civili data.* Aut *homo*, ille est vel persona *privata* uti parentes hoc facere possunt in testamento & dicitur *Testamentaria Tutela*, vel persona *publica* uti magistratus, qui omnino providere debet, ut *impuberes* tanquam *cives imperfecti* bene & Reip. statui convenienter educentur, quemadmodum Aristoteles subinde & sæpius inculcat *l. 1. Pol. c. 8. l. 8. Pol. c. 1. per tot. Legum igitur latori*, inquit, secundum versionem Latinam, *plurimum operæ ponendum esse in puerorū educatione, quod in Civitatibus prætermisū Reip. nocet, nemo dubitaverit* &c. & postmodum ita caput claudit, *de educatione igitur leges esse ferendas, eamq; publicam esse oportere, perspicuum est.* Imo de liberorum educatione in toto libro octavo prolixè agit, & inde etiam magistratus vocantur & audiunt, *die Obervormunder;* & hæc Tutelæ species *Dativa* dicitur atq; hæc posteriores duæ species,

species, Testamentaria sc. & dativa, denotantur in verbo *permissa*.

IV.

Quoniam igitur Romani viderunt plurimum situm esse in educatione impuberum tanquam civium imperfectorum, magnam & sollicitam curam adhibuerunt in eligendis tutoribus, nam quoscunque optimè & posse & velle eligere judicarunt eis potestatem eligendi dederunt; Hæc major utpote juri Nat. convenientissima latè ostenditur *in l. 3. pol. c. 7.* Atque primo omnium parentem; post legem, tertio denique Magistratum hoc & posse & velle sibi persuaserunt; hinc quoque tribus his successivè electionem dederunt. De parente nullum est dubium utpote qui filios tanquam partes sui tenerrimo amore prosequitur, *ut enim naturale est, ait Aristoteles l. 2. Pol. c. 5. quod quis ad se amicitiam habeat* ita quoque ad partes sui. Hæ autem sunt liberi; hinc propter singularem illum amorem & *σοφύλω* parentes utique creduntur, optimè eligere velle; Quod autem possint ita demonstratur. *Recte aliquem eligere munus & opus scientiæ esse videtur, ut & Geometram Geometrarum & gubernatorē gubernatorum. Nam etsi de quibusdam quoque operibus & artibus intelligunt idiotæ quidam, non tamen melius quàm docti, ait Aristoteles l. 3. Pol. c. 7. rursus paulo supra; Ea demum ratio est aliorum & usuum & artium.* Quoniam igitur hic agitur de eligendo quasi patrefamilias, qui defuncti patrisfamilias vices suppleat, utique is qui paterfam. est & familiam rexit, quam optimè novit, quisnam huic officio aptus sit nec ne. Jam tales patresfamilias sunt parentes E. & optime possunt & illis præ reliquis electio committenda erit. *Magnif. Dn. Eichel in tract. de Reg. J. c. 6. tb. 2. & 3.* Hæc
vero

I. Tut. Testam. vero tutela quia per testamentum fit *Testamentaria* appellatur & omnium primum ut præstantissima sibi vindicat locum, cum quamdiu illa adsit, tamdiu reliqui tutores non admittantur *l. 9. §. 1. ff. de tut. Et rat. distrab.* provisio enim hominis facit cessare provisionem Legis.

V.

Ut vero quid considerandum veniat in hac tutela percipiatur, supponendum illud jam tum supra positum principium, Tutelam esse munus Publicum. Quemadmodum autem in omni munere publico considerandæ sunt (1) personæ & (2) Modus, quomodo scil. officium deferatur, ita quoque hæc duo observanda sunt in tutela: Quod personas attinet tres in ea considerandæ sunt (1) constituens tutorem, (2) Cui constituitur & (3) quæ constituitur tutor. De prima ita argumentor. Quic. omnium optime volunt ac possunt eligere tutores, & præter testamenti factionem liberos habent in potestate, illi de Jure Civ. etiam eligendi potestatem habent. At tales soli sunt ascendentes paternæ non maternæ lineæ *§. 3. b. E.* Cum patres omnium optime judicare possint de officio ejus qui ipsis sit successurus & prolem illam impuberem educare & bona relicta rectè administrare possit. Ast de matre Romani hoc asseverare noluerunt, non quidem solum propter defectum patriæ potestatis sed etiam propter infirmum judicium mulierum & fragilitatem sexus *l. 1. §. 2. ff. de Scto Vellej.* Uti enim istæ ipso jure Naturæ Prolem præsertim masculam virtute illa, quam status Reip. requirit, informare non possunt, ita quoque alios idoneos ad hanc rem eligere non valent, licet sæpius amore erga liberos ipsos patres superent. *Dn. Eich. d. l. th. 6.* Contra in quibus cessant hæc requisita, illi tutores constituere nequeunt.

Atqui

Persona in
Test- tut.
tripl. con-
fid.
I. Consti-
tutens Tut.

Quæ non
possunt
constitue-
re tut.

Atqui talis est (1) Mater l. 2. ff. de conf. tub. l. 4. C. de test. tut. (2) avia, l. ult. ff. d. t. arg. §. 10. infl. de adopt. (3) avus maternus (4) pater naturalis l. 7. p. ff. eod. (5) omnis alius extraneus l. 1. §. 1. l. 4. ff. d. t. (6) Talis est prodigus (7) Furiosus & mente captus (8) Surdus & mutus §. 1. 2. 3. infl. quibus non est permiff. fac. test. De iis quibus potest constitui tutor sic arg. Quic. iunt liberi impuberes & in potestate patria existentes, illis potest constitui tutor; Atqui tales sunt filii & filiae (2) Nepotes & nepres, modo post mortem avi in sui patris potestatem non recidunt (3) Nati & nascituri, h. e. posthumi, quando enim de eorum utilitate agitur habentur pro natis ac cum iis æquali jure gaudent §. 4. h. t. Atqui hic agitur de eorum utilitate E. l. 7. ff. de statu hom. sive sint hæredes instituti sive exhæredati: l. 4. §. 10. §. 2. ff. de test. tut. De tertia persona quæ sc. potest constitui tutor seq. tit. agetur.

II. Per-
sona cui con-
stituitur
Tut. Test.

VI.

Modus deferendi tutelam testamentariam fit per testa-
mentum, sive sit scriptum seu nuncupativum sive solen-
ne, sive minus solenne, imo etiam per Codicillos testa-
mento confirmatos. arg. l. 1. §. 1. ff. h. t. Excluditur hinc
testamentum imperfectum, epistola aut alia quædam
ultima voluntas. Manz. q. 2. num. 2. Quando itaque
sic tutela tam ratione modi quam personarum rectè sese
habet, tutor subsistit nec ullo alio adminiculo eget & in-
de hæc tutela Bachovio dicitur pura testamentaria; Quod
si vero quicquam ex his, quæ diximus tam ratione modi
quam personarum deficiat, vel ipsa magistratus confir-
matio vel ipsius pupilli hæredis institutio J. Civili requi-
ritur, & hæc duo aliquando conjunctim requiruntur ali-
quando vero nuda sufficit confirmatio. Hæc autem rur-

Modus de-
ferendi
tut. test.

B

sus

sus fit dupliciter, vel sola approbatione vel simul adhibita etiam inquisitione & satisfactione *qua de ad tit. de sat. tut.* Coniunctim institutio & confirmatio cum inquisitione requiruntur quando tutor datur à matre, & ea videtur quasi in rem potius quam in personam tutorem dare, vel ab alio quovis extraneo, l. 4. ff. de test. tut. Nuda sufficit confirmatio sine ulla inquisitione & satisfactione, quando tutor datur à patre in Codicillis testamento non confirmatis vel alio testamento imperfecto l. 1. §. 1. ff. de conf. tut. (2) quando datur filio emancipato §. 5. b. t. quod tamen procedit ut plurimum & regulariter, aliquando enim Prætor ex justa causa potest à voluntate patris recedere & inquisitionem adhibere l. 1. §. 2. ff. d. t. l. 8. & seq. ff. eod. Ejusmodi vero tutor testamento confirmatus, an sit habendus pro dativo, an vero pro testamentario, multis quidem, sed sine necessitate, disputant. *Minsing. ad b. ult. §.* habet eum non quidem pro tali qui proprie dicitur testamentarius, sed saltem similis testamentario ex ratione, quam videbimus mox subiunctam. Alii vero ut Accursius & Cujacius habent eum pro dativo. Hos ut conciliamus distinguendum inter confirmationem, an scilicet illa facta sit nuda approbatione, an vero simul cum inquisitione; Priori casu videtur plus contulisse testamentum ad tutelæ constitutionem, & sic habendus est pro testamentario: Posteriori vero casu, cum prævaluerit confirmatio, omni casu is etiam pro dativo habendus erit.

VII.

Cæterum hodie nulla videtur pura testamentaria tutela, quæ nempe ex sola ultima voluntate vires habeat, cum omnes indistinctè tutores ante susceptam tutelam à magistratu sint confirmandi, inque eum finem ipsis solet da-

let dari tutorium. vid. die Policeny Ordnung d. anno 1548. t. 31. §. 2. & 1577. t. 32. §. 2. das auch ein jeglicher Vormunder er sey gleich Testaments weise verordnet oder durch das Recht oder Richter gegeben/sich der Vormundschaft nicht unterziehen sol die Verwaltung sey ihm dann durch die Obrigkeit decerniret und anbefohlen. Idem obtinet in principum & illustrium personarum ac etiam nobilium immediatorum tutoribus, hi enim, cum Austregæ hoc casu cessant, vel à Cæsarea majestate, vel à Camera Spirensi confirmantur. Gail. l. 1. obser. v. 1. n. 47. illorum enim educationi & regimini, qui aliquando Reip. administrationi sunt præficiendi, cum primis est prospiciendum, per text. express. in l. ult. ibi postea per Prætorem interpolatur decretum C. de tut. & Cur. Illustr. person. Reichs-Absch. zu Speyer de anno 1570. §. was den: 45. verbis, Auch ferner uns gnädiglich erbohten gemeldten Söhnen ehliche Vormünder und dan Commissarios zu verordnen: Dn. Hahn. ad tit. de Tut. n. 5. ad verba, id tamen in genere sciendum est, ferme in fine & ad tit. de test. tut. num. 2. Idque confirmat responso Facultatis ad Dn. C. A. Anno 1646. Mense Januar. dato, in verbis zugeschweigen wenn schon auch die Testamentaria tutoris constitutio ihre volle Richtigkeit hette/das dennoch F. A. S. G. der Vormundschaft administrationi sich nicht unternehmen möge ehe und zuvor ihm dieselbe von Keyserl. Majestät were decerniret und befohlen worden. Licet etiam pupilli mediare imperio subsint, habitent tamen sub Jurisdictione inter duos imperii status litigiosa, ne propter illud litigium tutoris confirmatio protrahatur & sic in damnum pupilli conjiciantur, eorum tutores hoc casu iterum à Camera imperiali sunt confirmandi; Quod etiam tum obtinet, si tutor imperio immediate subjectus, tutelam
B 2 subire

subire nolit, ille enim in Cameram citandus & confir-
mandus est, *Gylman. Voc. Tutela. §. an libris. Jacob. Blum.*
process. Camerali. tit. 42. th. 12. §. 13.

VIII.

Tertia persona in Tutela consideranda est ipse tutor,
Tit. xiv. qui, qualis debeat esse, colligitur ex eo, quod diximus
Init. §. 1. sæpè, principio, nempe tutelam esse officium publicum.
& 2. In omni vero officio publico tria requiruntur, (1) Ut
111 Per- persona bene velit ipsi cui præponitur, (2) ut possit m.
fona quæ perfungi officio vel ut sit apta & habilis, (3) Ut sit vir-
constitui. tuosa. *Aristoteles l. 5. Polit. c. 9.* inde argumentor: *Quic.*
tur tutor. *ejus sunt prudentiæ & virtutis, ut non tantum velint sed*
m. possint optimè educare pupillos & eorum bona recte
administrare, illi demum possunt esse tutores, atqui talis
(1) est paterfam. init. h. (2) Filiusfam. ille enim in officiis
publicis pro paterfam. habetur l. 9 ff. quæ sui l. al. jur. sunt
arg. l. 13. §. 5. ff. ad Sctum Trebell. (3) Talis est servus, non
quidem natura talis sed qui prudens est & lege nihilomi-
nus pro illo habetur; Hic vero vel est proprius vel alie-
nus; Prior tantum purè non vero sub conditione potest
rectè constitui. l. 21. 22 ff. de cond. inst. modo tamen error
non adsit testatoris qui putavit ipsum fuisse liberum; si
vero est alienus non aliter quàm sub conditione, si sc. li-
ber erit, tutor constituitur. l. 21 ff. eod. (4) Talis m. est
furiosus & minor viginti quinque annis, non tamen ante
possunt fungi officio tutelæ, quàm si compos mentis & mi-
nor major factus fuerit; Medio vero tempore J. Civ. Cu-
rator à Magistratu datur l. 10. §. 3. ff. de test. tut. l. 10. §. 7.
ff. de excus. tut. Jure tamen hodierno furiosum plane non
posse eligi tutorem ex praxi observ. Dn. Eichel. in priv.
disc. ad b. t. Quando vero majorennitas incipiat, varium
jus

Major
quifnam
dicitur.

ius est constitutum. J. Civ. incipit anno 26, J. Saxon. anno 22. Jure Publico in Electoribus anno 18. A. B. t. 7. Idem obtinet aliis in locis extra Romanum imperium, ubi quoad personas illustres citius incipit majoraetas, sic Hispani legitimam Regis aetatem a viginti annis inchoant, Rex Galliae majoraetatis evadit post decimum quartum annum completum; *Magnif. Dn. Conring. in annot. ad Lamp. p. 3. c. 4. ad §. 24. Joh. Limnæus Not. regni Franc. l. 1. c. 8.* Mulier vero licet sit majoraetatis, tutrix tamen regulariter esse nequit *arg. t. t. C. quando mul. tut. off. fung. pot.* Tutela enim est officium virile & publicum, a quo mulieres regulariter removentur *l. ult. ff. de Tut. l. 2. ff. de reg. Jur. l. 2. C. quando mul.* Excipitur tamen mulier quæ est mater vel avia *l. 2. C. quando mul. nov. 94. c. 1.* hæ vero ut possint esse tutrices singularia nonnulla requisita debent concurrere, quæ in seqq. videbimus.

IX.

Postquam hucusque perspectum quinam possint esse tutores, ulterius monstrat Justinianus modum constituendi tutoris Testamentarii, & (1) quidem tutor potest constitui in testamento, vel ad certum tempus, ad triennium, vel (2) ex certo tempore, si nimirum dicit Testator, Mævius post biennium mortis meæ sit tutor, vel (3) sub conditione, ug. Mævius sit Tutor, si filiam Caii in uxorem ducat, quod singulare est in tutore testamentario, cum legitimus & dativus non aliter quam pure possint institui, priori enim casu licet deficiat conditio, pupillis tamen possunt alii vel legitimi vel dativi tutores dari. Posteriori vero casu conditione non subsecuta deficerent tutores & ipsi pupilli deberent carere rectoribus, quod maximè esset damnosum. Licet vero sic varie

B 3

possit

*infantia proxima e 7. a
hæc usq. ad romu et de
pubertate proxima e 15
ante aetate usq. ad aut
lego ad ante 14 usq. ad
vocat pubertat incho
berat v. completa circum
14.*

§. 3.
Modus con
stituendi
Tut. Test.

*in triennio absolutis tu
proxima consuetudine*

§. 4.



Tutor cer-
tæ rei non
datur.

§. 5.
Quinam
sub nomi-
ne libero-
rum filio-
rum & fili-
arum com-
prehendun-
tur,

possit constitui tutor, tamen certæ rei vel causæ tutor dari non potest, quia tutor principaliter datur personæ, (2) quia tutor succedit in locum parentis, qui administrat non certam aliquam rem sed totum patrimonium filii; E. idem tutor administrator debet esse totius hæreditatis, non certæ cuiusdam partis, nisi tamen pupilli bona sint nimium divisa & in diversis locis distracta *l. 15. ff. de test. tut.* Cæterum observandum sub nomine filiorum & filiarum contineri etiam postumos, sub nomine vero liberorum (1) filios & filias (2) postumos & postumas (3) nepotes: Vocabulum vero posterorum adhuc latius extenditur, si igitur quis dederit tutorem filiis & filiabus, *den Söhnen und Töchtern*/postumis saltim, non vero nepotibus simul, tutor censetur datus, nisi tamen testator solos nepotes habuerit. Si vero liberis dederit, *den Kindern*/primum filiis & filiabus, dein postumis, quin & nepotibus & neptibus datus esse censetur.

Tit. xv.
init. &
§. 1.

X.
Et hætenus de tutela testamentaria quæ omnium est prima & præstantissima, nam quamdiu hæc adest, vel saltem speratur, nullus alius tutor admittitur, sed si forsitan tutor testamentarius ob impedimentum est inidoneus, locus est, ut jam dictum, Curatori ita, ut nullus legitimus tutor admittatur. Sciendum enim inquit *l. 11. init. ff. de test. tut. quamdiu testamentaria tutela speratur tamdiu legitima cessat*, quod ita obtinet in Jure privato. Secus vero est in Jure publico quoad Electores, ubi primo omnium locum habet Legitima tutela, ita ut licet sit constitutus à patre electore tutor in testamento, tamen non admittatur sed ab agnato proximior, modo ille sit habilis nec ab illo Reip. aut pupillo periculum immineat, semper excludatur. *A. B. c. 7. Lamp,*

Lamp. p. 3. c. 4. §. 24. & 25. & ad h. Loc. Dn. Conring. Arum. ad A. B. disc. 4. th. 10. & de Jure Publ. disc. 24. Quamvis sint multi, inter quos in primis *Bacbovius ad Treutlerum vol. 2. d. 8. th. 3. L. A.*, qui acriter nec rationibus contemnendis contrarium defendant, ita ut A. B. sit tantum intelligenda de casu quo defunctus elector intestatus decedit, sed cum verba *d. c. 7.* generaliter loquantur & generaliter sunt intelligenda de utroque casu: Legibus enim non distinguendis nec nostrum est distinguere, ex vulgato Juris brocardo, in primis cum intentio Caroli IV. fuerit omnes dissensiones, super tutela electorali forsitan oborituras, penitus e medio tollere, verbis, *Ne futuris temporibus scandalum & dissensionis materia possit suscitari*; Hic autem & finis & scopus L. Latoris an libera testandi facultate obtineri possit & non potius, si ille, qui jure futurus est tutor, admittetur, cui iacet iudicandum relinquimus; & inde exorta etiam est anno seculi hujus decimo inter Johannem Bipontinum & Philippum Ludovicum Neoburgicum acerrima contentio; Cum enim decedens Ludovicus, Palatinus Elector, testamento tutorem filiis minorennibus Johannem Bipontinum dedisset, excluso proximiore agnato Philippo Ludovico Neoburgico, atque prior sibi commissam administrationem Palatinatus Electoralis suscepisset, pro utraque parte libellis variis certatum fuit. Nam Bipontinum atque tutelam testamentariam Marquardus Frecherus & Dionysius Gothofredus defendere, Neoburgici vero partes & legitimam tutelam Johannes Zeschlinus & Zacharias Fridenrichus tueri haud dubitaverunt, ita ut m. hac controversia ad ipsum imperatorem Rudolphum delata fuerit, isto autem ex justa causa decisionem litis protrahente, cum postea varia intervenirent & ipse Fri-
dericus

dericus Palatinus factus esset majorennis, lris mansit inde-
cisa: interea Bipontinus à Cæsare pariter & Electorali
Collegio injusti tutoris locum fuit admissus; Rudolphi Cæ-
saris literæ ut & alia egregia de hoc argumento videri pos-
sunt apud *Dn. Conring. alleg. loco.*

XI.

11. Species
Tutelæ est
Legitima,

Præter hunc casum semper præcedit testamentaria
& post illam sequitur Legitima tutela. Deficere autem
oportet Testamentariam in totum ita ut ejus spes superfit
nulla, quomodo vero sic in totum, deficiat, docet §. 2. b.
Ratio vero, quare immediate legitima subsequitur tute-
lam testamentariam, est, quod Lex post parentes ante
omnes alios & bene possit & velit quoque eligere tutores,
quoniam affectibus caret & perturbationibus, & ut ait,
Aristoteles, Deum imperare jubet qui legem imperare ju-
bet l. 3. Pol. c. 12. Quando itaque Lex eligit personas
in tutores, Tutela dicitur Legitima, non quod reliquæ non
æquè secundum LL. sint constitutæ sed κατεξοχήν & per
eminentiam, quod hæc ipso jure sine ullo aliquo facto
tertii vel datione vel confirmatione prætoris deferatur.

Definitio
Tutelæ Le-
gitimæ.

*Est vero tutela legitima quæ immediate ab ipsa Lege proxi-
mis consanguineis, pupilli successoribus, defertur.* Proximi
vero Successores olim erant ex L. XII. Tab. agnati, qui per
virilis sexus cognationem pupillo erant conjuncti, & Jure
Saxon. dicuntur *Schwerdmagen* / quales sunt (1) Frater
(2) Fratrum liberi (3) Patruus ejusque liberi. Hodie ve-
ro cum æque cognati, Jure Saxon. die *Spilmagen* / nem-
pe conjuncti per fæminini sexus cognationem succedant,
ob emolumentum quod sperant ex hæreditate, ipsis æque
competit onus tutelæ subire, & bona, quorum successo-
res erunt, ita administrare, ne dilapidentur. *Nov. 118. c. 5.*

auth.

autb. sicut. C. de leg. tut. Eo enim tutela redit quo hæreditas pervenit; *l. 73 ff. de Reg. Jur.* Præterea etiam hi ex Jure sanguinis & caritate præsumuntur æque optime velle pupillis ac agnati. Differentia itaque quoad successionem ab intestato & tutelam inter agnatos & cognatos J. Civili hodie est sublata. Jure vero Feudali à successionem feudi agnatus cognatum excludit, nisi feudum sit foemininum *Ein CuncelLehn vid. Brunn. add. autb.* Quod jus Saxonicum attinet, id sequitur adhuc hodie morem Legis antiquæ XII. Tab. nam in tutela gerenda agnatos præfert cognatis. *art. 23. l. 1. Landrecht & art. 49. in Weichbild. Job. Schneidewinus ad princ. b. tit. 15. n. 12.* Licet in foro Saxónico cognati æque cum agnatis succedant. *Landrecht l. 1. art. 3. Coler. decis. 49. n. 14. & seq. p. 1.* Nam jura Saxonica majorem nominis ac familiæ quam sanguinis rationem habent, atque adeo præsumunt, agnatos, qui cum pupillo idem nomen gerunt, majorem etiam in tutela gerenda diligentiam adhibituros esse *Carpzov. disp. 2. de Arbor. consang. c. 7. tb. n. 31. n. 75. cum. seqq.* Non tamen omnes, si plures agnati in pari gradu existentes adsunt, sed tantum Senior admittitur *d. art. 23. Landrecht ibiq. glossa & Zobel Job. Schneidewin. d. t. 15. n. 12.*

XII.

Verum hæc, de tutoribus legitimis, tantum intelligenda sunt de solis masculis agnatis & cognatis, non vero fæminis. *l. 1. pr. C. quand. mul. tut.* Excipiuntur saltem mater & avia quæ jure Digestorum & Codicis, non nisi speciali impetrata concessione, ad tutelam liberorum admittuntur. *l. ult. ff. de Tut. l. 2. C. quand. mul.* Justinianus vero tum ob præsumtum singularem in liberos amorem & fidem, *Nov. 94. c. 1. arg. l. 14. C. de his qui accus. non pess.* tum propter ratio-

C

nem

Hodie ad-
ministra-
tio tut ma-
tri & avia
est pecnis-
sa.



nem successionis eas non tantum admitti sed & omnibus aliis ex latere venientibus præferri constituit, *d. nov. Gauth. matri C. quand. mul.* in tantum ut etiam ipsi paterno avo sit præferenda, quia & huic præfertur in successione & amore, qui in illa est maximus & major quam in ullo alio cognato; *vid. Brunn. d. l. dissentit Carpz. Struv. exerc. 31. tb. 26. Pbil. Ecl. 82.* Requiritur vero, si velint matres & aviæ suscipere tutelam, ut (1) renuncient secundis nuptiis, (2) ut majores sint viginti quinque annis, (3) ut renuncient *SCto* enim *Velleiano l. 5. C. quand. mul.* quo scil. indultum est mulieribus, ut sese pro aliis efficaciter non possint obligare, (4) debent præstare juramentum Tutorium, qualis formula jurisjurandi adjecta est *Ordin. Cancellar. in Duc. Brunsv. & Luneb. Wolferbytano*, sub titulo, formula *VormundsEides* / denn eine Mutter als Legitima turtrix schweren soll/nisi tamen magistratus hoc ipsum mulieri velit remittere; *autb. Sacramentum C. quand. mul. singulare* tamen est in mulieribus quod invitæ non possint cogi, *autb. mater & avia d. t.* quod in cæteris speciebus secus est *l. 1. pr. ff. de adm. tut.* Demum præter hæc omnia requiritur, ut nullus adsit tutor testamentarius, qui cessat, quando defunctus intestatus quoad tutelam decessit. Decedit vero quis ita; (1) si nullum Testamentum fecerit, (2) si quidem factum est testamentum sed tutor in illo non datus est, (3) quando quidem datus est tutor sed ipse mortuus est, (4) si quidem tutor in aliquo testamento sit constitutus, illud testamentum tamen destituitur hærede,

§. 2.
Quibus
modis ali-
quis quoad
Tutelam
intestatus
decedit.

XIII,

Quod si mulier ob secundas nuptias Tutelam amiserit, eam mortuo marito reassumere nequit. *Mynsing. cent. 3. observ. 83.* quia effectus privationis jam consummatus est.

est. *Nov. 22. c. 40. & Nov. 94. c. 2.* & jura semel pedita non facile recuperantur. *arg. l. 2. §. 4. ff. de cap. minut. l. 21. ff. de statu hominum* idque indistinctè sive nati sunt liberi ex secundo matrimonio sive non. Cum impedimentum sit solus ad secunda vota transitus *d. Nov. 94.* Quod si vero deposuerit tutelam pater quasi nuptura, nec tamen nubat, tutelam eam depositam recuperare posse æquius est. *Mynsing. d. observ. 83.* etiamsi sponsalia celebraverit, modo ista ex justis causis iterum dissolvantur, quia contractæ demum nuptiæ matrem à Tutela repellant. *d. Nov. 94. & auth. sacramentum C. quand. mul.* Demum pater tutelam legitimam, nisi dando tutorem testamentarium, matri adimere nequit, *Nov. 118. c. 5. auth. matri & avia C. quand. mul. tut.* verum hoc casu matri non est adempta tutela à patre sed illa potius tum cessat propter tutorem testamentarium.

XIV.

Sic ipsa tutela Legitima constituitur, jam adjicitur modus hanc ipsam tollendi, qui fit per capitis deminutionem, quando scil. tutor vel pupillus Capite Deminuitur, per hoc enim jus agnationis, tanquam fundamentum tutelæ legitimæ, tollitur & sic consequenter ipsa tutela, quæ à jure agnationis dependet: Unde patet, quare hic necessum sit agere de Capitis Deminutione, ejusque triplici specie, nempe *Maxima, Media & Minima*, per quas tres species jus agnationis plerumq; perimitur, nam agnatio Juris Civilis nomen est: Quodcunque vero ex jure Civili profuit, illud quoque rursus per jus Civ. corrumpi potest; sed jus agnationis est tale; E. Contra jus cognationis, quia non tam in J. Civ. quam natura fundamentum habet, minima Capitis deminutione non extinguitur § 3.

§. 3.
Modus
tollendi
tut. legit.

Instit. de leg. agnat. tut. §. 6. de cap. Dom. perit tamen quoad effectus, quos ex Jure Civili habet, per maximam & mediam Capitis deminutionem d. §. 6. Instit. de cap. Dem. Licet ipsa cognatio & jus sanguinis maneat, nec iis modis tolli queat, nam frater & soror manet frater & soror, licet in servitutem incidant vel libertatem amittant. l. 8. ff. de Reg. Jur.

XV.

T. XVI. Definitur vero Capitis Dem. quod sit mutatio prioris status; status vero in genere denotat ipsam hominis conditionem in societate quadam viventis; (2) sæpe etiam societatem & formam ipsam regendi; sic dicitur status regni mutatur i. e. societas ipsa vel forma regendi mutatur: in priori significatque vocabulum status hic accipitur; Caput vero sumitur (1) *Συνδικομας*, pro toto homine sive pro ipsa persona l. 2. ff. de publ. judiciis l. 3. ff. de Cap. Dem. (2) pro ipso hominis statu, conditione ac jure quod in societate habet l. 2. §. 1. ff. de Cap. Dem. & posterior vocabuli acceptio huc pertinet. Quotuplex igitur est societas secundum LL. nostras & jus ex societate resultans, quod per Capitis Deminutionem amittitur, totuplex est ipsa Cap. Deminutio. Atqui triplex est quasi societas & jus in ea obtinens; E. Prima videtur esse omnium omnino hominum, & sic *Maxima*, eaque pro fine, bono suo ac jure libertatem habet eamque ipsa natura in omnes homines introducere voluisse colligitur ex §. 1. & 2. *inst. de Jur. person.* Quicumque igitur hujus societatis bonum & jus, nimirum libertatem amittit, *Maximam dicitur Capitis deminutionem pati.*

Cap. Dem.
Definitio.
§. 1. 2. 3.

Estq: illa
triplex,

Maxima.

XVI.

Aut secundo est societas inter homines unius Reipubl. & so-

& solos Cives intercedens, eaq; minor est; bonum autem in hac societate est jus Civitatis, idq; amittens minorem si ve mediam Capitis Deminutionem patitur, libertatem tamen retinet, ut is olim erat cui aqua & igni interdicebatur, vel qui in insulam deportatus erat, cui similes hodiè sunt banniti, de quibus in præcedenti *dissert. th. 55. & 56.* pluribus actum; Hoc tamen nunc solum addemus, pœnam Banni ideo fuisse adinventam, ne rei absentes & fugitivi, ultimi supplicii pœnam sæpius merentes, plane impune evadant. Deportatis porro similes sunt hodie, qui fustibus cæsi relegantur & patria carent, nisi quod bona sua non amittant *Matth. Wesenb. ff. de interd. & releg. in fin. ibiq. Dn. Hahn. Georg. Schult. in Synops. b. lit. A.* iique ad tutelæ officium non sunt admittendi, vel si jam tutores existunt, eis tutela adimenda. Verum cum simpliciter relegatis aliter sese res habet. Licet enim aut nunquam, si in perpetuum, aut indefinite relegati sunt; *Richter dec. 93. num. 8.* aut non intra tempus præfinitum, si relegatio adsit temporalis, revertere possunt in tantum, ut in ipsis etiam nundinis eis hoc non sit permissum, quia harum privilegiis facinorosi non magis adjuvantur atque burficopi, fures & homicidæ, quos durantibus etiam nundinis incarcerari quotidie videmus. *Daniel Möller. ad Constit. Elect. 30. p. 1. n. 16. Carpz. ad eand. Const. def. 30.* nisi forsan indulgentia principis restituantur. *§. 1. instit. quibus mod. pat. pot. solv. l. 1. & t. t. de sentent. pass. & restit.* Relegati tamen jura Civitatis non amittunt, sed beneficia Civibus & incolis competentia, statum aliaque similia, quibus antea usi fuere, retinent. *§. 2. instit. quibus mod. pat. P. solv. l. relegati. 4. l. relegatus. 14. §. 1. ff. de interd. & releg. Carpzov. pr. Crim. quest. 130. num. 52. Richter. decis. 80. n. 24.* Hinc etiam fit, quod
C 3 relega-

Mediv.

relegatus durante relegatione alibi ad officia admitti possit; Cum relegationis effectus non extendatur extra territorium relegantis *Schneider. ad §. 2. & seq. inst. quibus modis patria pot. solv.* modo non aliquis ex crimine per se famoso relegatus sit; nam hoc casu alio etiam in loco profamoso habetur ac per consequens ab officio honorabili repellendus est. *arg. l. palam. 4. ff. de rit. nupt. Richter decis. 80. n. 27. & 34.* adeo ut ne in collegiis quidem opificum tolleretur. Hodie etiam relegatos iis in locis, unde relegantur, ad Tutelam non facile admittendos esse, asserere haud dubitamus.

XVII.

Minima.

Tertia demum & minima societas in materia Capit. Dem. consideranda, est Familia. Jam qui bonum & jus hujus societatis nim. jus familiae amittit, licet civitatem & libertatem retineat *minimam Capitis Dem.* patitur, idq; fit vel per adoptionem, vel arrogationem, vel emancipationem. Per hanc autem Capitis minutionem familia uno Capite minuitur *wird einen Kopf verringert.* Hodie tamen ob minimam Capitis Deminutionem nemo à tutelae officio excluditur, nam licet persona minimam capitis Deminutionem passa interdum in alterius potestatem patriam transeat, uti fit in adoptione perfecta & arrogatione, filii tamen familias in officiis Publicis pro patribusfam. habentur. *l. 9. ff. de his qui §. 4. sui vel alieni jur. sunt.* Ut itaq; quis dicatur capite minui, necesse est unius boni harum societarum fuisse participem, & inde à contrario concluditur: Qui nullum horum trium bonorum habet, quod capite non minuatur. Atqui talis est servus manumissus, cum enim nullum caput, hoc est, statum habet, nec eo privari ac minui & statum suum mutare dicitur *l. 3. ff. de Cap. Dem.* item nec per remotionem à ma

à magistratu aliquis Capite minuitur, cum ille neque Civitatem neque familiam adimat. Senatus enim dignitate motus manet quidem Civis *l. 3. ff. de Senat.* ipsius tamen existimatio minuitur. *l. pen. ff. de extraord. cognit.* **Hodie** in universum videndum est an testamentarii tutores sint constituti & (2) si illi desunt, an mater vel avia adfit, quæ tutelam suscipere velint, si nec illæ ad sint, tum demum agnati imo hodie etiam cognati tutelam subeunt & tum distinguendum, aut soli adsunt agnati vel cognati, vel mixti concurrunt agnati cum cognatis. Priori casu soli cognati vel agnati secundum gradus proximitatem admittuntur. Posteriori vero casu disting. aut illi sunt in gradu æquali, aut in gradu inæquali, h. e. unus altero pupillo est proximior, alter vero remotior; Priori casu omnes admittuntur, ita tamen ut uni possit decerni administratio. *l. 5. §. 2. ff. de legit. tut.* Hoc vero casu propinquior excludit remotiorem. *arg. §. ult. h. t.*

Hodie-
num jus.

§. 6. 7.

XVIII.

Hucusque de agnatis & cognatis ad quos spectat onus tutelæ ob emolumentum successionis, quod ipsum ex interpretatione & ratione legis applicatum deinde est ad Patronos, qui servos suos manumiserant, illi enim vocabantur ad hæreditatem liberti & consequenter onus tutelæ ob hanc rationem tenebantur suscipere, cum in lege duo sint consideranda, (1) verba (2) mens ac ratio legis *l. 17. ff. de LL.* Idem extensum est ad Parentes qui liberos suos impuberes emanciparant; Hi enim similes videbantur esse patronis & liberi libertis, inde parentes emancipantes horum tutelam nanciscebantur. Uti vero patrono mortuo liberi ejus fiebant tutores liberti, ita liberi parentis demortui, qui filios emancipaverat, fiebant

T. XVII.

11. Species tutelæ legitimæ est Patronorum.

T. XVIII.

111. Species tutelæ legitimæ est Parentum.

T. XIX.

1v. Species tutelæ leg. est fiducia-
ria.

bant tutores liberorum emancipatorum, & sic frater ma-
 jorennis erat fratris sui impuberis Tutor legitimus quæ
 species tutelæ vocatur fiduciaria, inde quoad emancipatus
 frater fidei quasi alterius fratris committitur. Hodie
 omnes illæ legitimæ tutelæ species, ex ratione legis de-
 ductæ, cessant & de J. Novo unica illa ex verbis Legis de-
 scendens legitima tutela mansit, ita ut qui proximè cogna-
 tione vel agnatione tangunt ipsum pupillum, fiant ejus tu-
 tores Legitimi. *Vid. tamen autor ad Schultz. Synops. h. t.*
 ubi deducit ex statutis Hamburg. Fratres majores post
 mortem parentis impuberum suorum fratrum tutores fie-
 ri, modo divisio hæreditatis sit facta, ante divisionem enim
 alii tutores simul constituuntur; Idem dicit de Rep. Fran-
 cofurt. & tantùm de tutela Legitima tum quæ in ex-
 pressis verbis tum quæ in ratione legis olim erat fun-
 data.

XIX.

T. xx. Tertia tutelæ species est *Dativa*, quæ à magistratu ipsis
 impuberibus constituitur. Fundamentum ejus petimus
 exc. l. l. 8. Pol. ubi docet Philosophus, in bene constitutis Re-
 bus publ. futuros cives reipubl. statui convenienter esse edu-
 candos, (2) Reddendos esse virtuosos, (3) prospicien-
 dum ipsis esse, ne ad paupertatem redigantur, quod fit si
 bona eorum fideliter administrantur; Jam vero sæpius ac-
 cidit ut parentes præmatura morte extinguantur, & (1) sic
 liberos nec educare nec eorum bona administrare possint,
 (2) neque ipsis impuberibus ulli sint agnati vel cognati,
 qui parentum partes subire queant; hoc igitur casu magi-
 stratus in subsidium accedit, imo debet. l. 2. §. 23. inf. ff. ad
 S. C. tum Tertull. hinc ab hac necessitate prospiciendi pupil-
 lis audiunt magistratus die Obervormünder. Jam de hac
 tutela

Tertia spe-
 cies tutelæ
 est Dativa
 Fundam.
 ejusdem.

In Tut.
 Dat. 4.
 confid.

tutela attendendum, (1) quinam magistratus habeant jus dandi tutores, (2) quibus possit dari tutor à magistratu, & (3) quinam possint dari Tutores, & demum (4) quomodo sint tutores dandi. Quod primum attinet, cum tutelæ officium sit res singularis industriæ, prudentiæ ac fidei, Romani, de hoc valde solliciti, non indistincte quibusvis magistratibus sed nonnullis tantum specialiter concesserunt potestatem dandi tutores, inde tutoris datio dicitur non esse Jurisdictionis nec jure magistratus competere, ita, ut quilibet magistratus statim ubi talis factus fuerit, habuerit potestatem dandi tutores, sed illi solum competebat hoc jus, cui nominatim illud vel lex, vel Senatusconsultum, vel princeps dederat. *l. 6. §. 2. ff. de tut. Hahn. ad Wesenb. ff. de tutor. & Cur. datis. n. 1.* Quibuscumque igitur magistratus vel ex speciali lege, vel ex SCto, vel ex constitutione principis concessa erat potestas dandi tutores, illi magistratus solum tutores dare poterant. Quam ipsam concessionem magistratibus indultam videtur suasisse Consul Attilius Regulus, qui cum tutor dativus ab universo populo in comitiis eligebatur, constituit per Legem ut prætor Urbanus & major pars tribunorum plebis deberent habere potestatem dandi impuberibus Tutores, quia hi totum populum representabant, inde ex hoc autore Attilio ejusmodi tutor electus, dicitur Attilianus.

(1) quinam magistrat. possunt dare Tutores.

XX.

Post ipsum prætorem urbanum secundo in provincia sunt præsides, cum enim lex Attilia saltim pertineret ad illos qui in urbe erant, ideo post hanc legem ferebatur lex Julia & Titia in qua erat constitutum, ut ad exemplum tutoris electi in urbe Roma, præsides quoque in provinciis possent impuberibus Tutores dare, inde patet, qui sit Attilianus

D

lianus

lianus Tutor & is qui ex Lege Julia dabatur; (3) Conces-
 §. 3. sum etiam hoc est ipsis consulibus; (4) Prætoribus solis
 sine Tribunis. *Vinnius ad §. 3. b. t.* Hi tamen tenebantur in-
 quirere & cautionem, rem salvam, pupillis fore, à Tutori-
 bus exigere & (2) Tutores etiam invitos poterant com-
 pellere ad Tutelæ administrationem, quo ipso differunt
 §. 4. ab illis ex LL. antea datis, utpote in quibus nihil horum
 erat cautum, (5) Noviter etiam concessum est dare tuto-
 res ipsi urbis præfecto, qui ut & prætor, secundum suam
 Jurisd. i. e. suæ Jurisdictionis subditis, tutores dare potest;
 Jurisdictio vero prætoris muris saltem Romæ includeba-
 tur, præfecti vero urbis usque ad centesimum lapidem.
l. 1. §. 4. ff. de off. præf. urbis. (6) Tales etiam erant ipsi ma-
 gistratus municipales, non aliter tamen tutores dabant nisi
 jussu præsidum & quando isti jure suo non uti nec Tutores
 dare volebant, neq; obstat *l. 3. ff. de tut. & Cur.* ubi dicitur *jus*
dandi Tutores datū est omnibus magistratibus municipalibus;
 Resp. omnibus, jussu præsidis, vero ex hac responsione
 suboritur dubium, quomodo mandari possit illud, quod
 speciali Lege, Scto vel constitutione principis alicui com-
 petit, tritum enim juris est, hæc ipsa mandari non posse *l. 5.*
ff. de off. cui mand. est jurisd. Jam tutoris datio uti ex ante-
 cedentibus patet est concessa speciali lege. *l. 6. §. 2. ff. de*
Tut. E. Resp. Mandari non potest Tutoris datio, nisi po-
 testas mandandi simul magistratui sit concessa; Jam pote-
 stas illa est concessa præsidibus in provinciis. E. Demum
 §. 5. (7) Imp. Justinianus potestatem magistratuum ita auxit,
 ut sine ulla jussione præsidum potuerint eligere Tutorem;
 Modo facultates pupilli 500. solidos non excederent, ad-
 hibita simul Episcopi loci præsentia. *l. 30. C. de Episc. au-*
diens. Ita varie circa Tutelam dativam in J. Romano
 fuit

fuit constitutum, hoc tamen discrimine adhuc observato, quod illustribus claris & equitibus non alii potuerint Tutores dare quam Præfecti urbis & Præsides in provinciis. l. 1. § 2. C. de tut. illust.

XXI.

Jure v. hodierno cum propter status mutationem & ipsa horum magistratuum officia sint mutata, quilibet magistratus competens potest tutores dare. *Ref. Pol. de anno 1548. tit. 31. §. 2. & 1577. tit. 32. §. 2.* modo hi illius Jurisdictioni sint subjecti. l. 1. §. 2. l. 3. ff. de Tut. & Cur. datis. Quia extra territorium jus dicenti impune non paretur. l. fin. ff. de Jurisdic. Quod si pupillo alius sit magistratus respectu domicilii, & sub alio bona sua sita habet, magistratus domicilii præferendus est. l. 21. §. 2. ff. de excus. tut. l. 5. §. 12. ff. de reb. eor. qui sub tut. sunt. An vero hoc ipsis comperat vi Jurisdictionis & jure magistratus, an vero ex speciali concessione, quæstio est haud facilis; si vero id judicare licet ex eo quod nec hodie magistratus facultatem habeat mandandi Tutoris dationem, concludere licet adhuc Tutoris dationem ex speciali Legisconcessione omnibus magistratibus competere, non obstante, quod si idoneus tutor in aliquo loco non inveniatur, per literas subsidiales sive mutui compassus magistratus ex alterius Jurisdictione eum evocare possit. l. 24. ff. de Tut. & Cur. dat. Hæ enim literæ, Germ. *Compassbrieffe* / nullum mandatum in se continent: Et quoniam judicium Cæsareo Aulicum & Camera Imperialis Ducum, Principum, Comitum omniumque immediate imperio subjectorum, ordinarius judex existit, iisdem ab his judiciis optimo jure Tutores dantur. *Gail. l. 1. obser. v. 1. n. 47. Blum. de Process. Cam. t. 42. §. 11. 12. & 13.*, imo potest tutor à mediato & superiori magistratu omisso proximo judice peti. *arg. l. 24. ff. de tut. & Cur. dat. Brunnem. ad l. 1.*

D 2

§. fin.

An magi-
stratus. se-
ipsum tu-
torem da-
re possit?

§. fin. ff. de tut. & Cur. dat. non vero magistratus se ipsum Tutorem dare potest. l. 4. ff. de tut. & Cur. dat. Tutoris enim datio est mixti Imperii & in coercendo consistit, nemo aut sibi ipsi imperare aut se ipsum cogere potest. l. 13. §. penult. ff. ad Scutum Trebell. Accedit quod suspicione fraudis non caret, id ultro appetere, quod alii ut plenum molestiarum & periculi fugere solent. Quod vero magistratus v.g. consul, collegam suum tutorem dare possit, non est dubium l. 19. pr. & §. 1. ff. de tut. & Cur. dat. nam licet par in parem non habeat imperium. l. 4. ff. de Recept. qui arbitr. tamen toti collegio in unum membrum datur Jurisdictio. Brunnem. ad l. 19. n. 3. ff. de tut. & Cur. dat.

XXII.

(n) Qui-
bus dativi
tutores
dantur.

§. I.

Tantum de magistratibus qui & olim & nunc Tutores dant. Jam ad secundum membrum, quibus sc. Dativi Tutores dentur, de quibus ita argumentor. Quic. pupilli neque testamentarios, neque legitimos Tutores actu habent, illis dandi sunt Dativi tutores, *init. instit. b.* At qui talis est (1) qui nullum Tutorem ex testamento habet, (2) Cujus tutor datus est mortuus (3) Cui in testamento tutor sub conditione est datus, pendente enim conditione tamdiu à magistratu alius datur Tutor, (4) Talis est cui Tutor ex certo die datus est, antequàm enim dies ille adveniat, alius Tutor tamdiu à magistratu datur; (5) Talis est cui tutor pure datus est in testamento ex quo nemo hæres est, (6) Talis est cujus tutor captus est ab hostibus; durante enim captivitate à magistratu alius datur tutor, qui redeunte postmodum captivo talis esse desinebat.

XXIV.

(m) Perso-
næ quæ à
magistrat.
tur. dantur.

Restat ut tertio consideremus personas quæ à magistratibus

stratibus tutores dari possunt, & uno verbo qui testamen-
 to, ii etiam à magistratu tutores dari queunt, modo Ju-
 risdictioni illius magistratus sint subiecti. *l. 1. fin. l. 3. de
 tut. & Cur. dat. l. 5. C. eod.* De Vitrico quaeritur, an privigno
 Tutor dari possit & Affirmandum est ex *l. fin. C. de contrar.
 tut. iudicio. l. 2. C. de interd. matr. l. 32. §. 1. ff. de Adopt.*
 Idem est de Judæis asserendum, quod nimirum Christia-
 norum Tutores esse possint. *l. 15. §. 6. ff. de Excus. Tut. arg.
 l. 3. §. fin. ff. de decurion.* Non enim faveri eis debet ut
 ab onere administrandæ Tutelæ liberentur; A qua tamen
 educatio pupilli separata esset debet, quæ judæis, ne super-
 stitione inficiatur pupillus, committenda non est, cum &
 aliis in casibus penes alium administratio & apud alium
 educatio esse soleat. *l. 1. l. 3. ff. ubi pupill. educ. l. fin. C. eod.*
 Hæc tamen quaestio in hoc Ducatu Brunsvicensi Guelpher-
 bytano videtur esse supervacua, cum jam tum seculo supe-
 riori ex eo Judæi relegati fuerint. Weyland Herzogen
 Erichs des Jüngern offenes Mandat die Juden und Juden-
 genossen aus S. F. S. Lande zu verweisen d. anno 1553 Cre-
 ditor tamen & debitor pupilli à magistratu tutor dari ne-
 quit. *Nov. 72. & autb. minoris C. qui dare tut. l. Cur. poss. nisi
 debitum vel Creditum modicum existat;* multo magis
 ille à Tutelæ officio removendus, qui dissimulato debito
 tutelam suscepit, nam silentio suo se suspectum reddidit.
arg. l. 8. ff. de Tut. Propter tamen debitum vel Creditum
 post susceptam Tutelam superveniens non est removen-
 dus sed Curator ei adjungendus. *Nov. 72. c. 2. Carpzov. l. 5.
 Resp. 88.*

An vitricus
 possit pri-
 vigno dari
 tutor.
 An Judæus
 tutor dari
 possit.

XXIV.

Modum quod attinet, sub quo dandi erant Tutores,
 disting. Jure Romano inter majores & minores magistra-

(iv) Mo-
 dus dati-
 vos Tuto-
 res consti-
 tus; antiquus

Hodiernū
iur.

tus; Minores tenebantur cautionem à Tutoribus exigere sub periculo omnis damni ab omissione cautionis non exactæ eventis; Majores vero ad id jure non tenebantur; Hodie vero quivis magistratus dando tutores tenetur cautionem à Tutoribus exigere idoneam, nam si hoc quisquam omiserit, adversus illum locum habet actio subsidaria, de qua int. tit. in ff. de mag. con. v. cujususum vide apud Hahn. ad h. t. & Struv. eod. Brunn. ad l. 1. C. qui tut. l. C. dare possunt. Duplici vero modo magistratus solet dare tutores (1) Rogatus & ad petitionem aliorum, vel non rogatus. Qui petunt, illi vel ex necessitate, vel sponte sua & ex libera voluntate hoc faciunt; necessitate cogitur ipsa mater, quando scil. illa tutrix esse nolit. Godofr. l. 2. §. 1. ff. qui pet. tut. l. 6. 9. 10. C. eod. (2) Omnes illi qui proximè ad successionem defuncti vocantur l. 19. C. de leg. hær. Quod si enim intra annum, à tempore mortis paternæ computandum, hoc facere neglexerint, ab hæreditate impuberis excluduntur, non vero si pubes decedat. arg. l. 3. & 6. C. ad Sctum Tertull. l. 10. C. de leg. hær. l. 2. §. 2. l. 4. §. 3. qui pet. tut. Præterea certæ adsunt causæ ob quas hæc pæna remittitur quæ vid. in l. 2. C. si adv. delict. l. 2. §. 26. 44. & 45. ff. ad Sctum Tertull. it. §. 43. d. l. & l. 3. C. eod. Sponte vero sua & ex libro arbitrio petunt pupillis tutores reliqui cognati vel affines, vel amici, vel educatores pupillorum, imo etiam quilibet extraneus, qui tamen sumtus in id factos repetere potest. l. 2. C. de neg. gest. & his tandem omnibus negligentibus petere, necessitas dandi Tutores magistratui etiam non rogato incumbit. l. 2. §. 23. in f. ff. ad Sctum Tertull.

XXV.

§. 7.
Effectus
Tutelæ,

Effectus Tutelæ in duobus consistit; (1) in Obligatione & (2) in Actione. Obligatio conspicitur alia in tutelæ

tutelæ delatæ susceptione, alia in ejusdem administratione.
Ex priori tutor est obligatus statim à die scientiæ absque
ulla mora officium suscipere, quod ni faciat, cessat suo peri-
culo, & extra ordinem vel pignoribus captis vel indicta
multa ad id cogendus est, nisi tamen ille legitimam excu-
sationis causam proferat. *l. 1. ff. de admin. & per tut. l. 2.*
& 3. C. de susp. tut & Curat. (2) Tenetur non quovis mo-
do sed ritè, Tutelam delatam suscipere; Ut autem ritè id
fiat quatuor sequentia requiruntur. (1) Decretum magistra-
tus. *Ref. Pol. de anno 1548. tit. 31. & 1577. t. 32. §. 2.* Daß ein
jeglicher Vormünder er sey gleich Testamentsweise verord-
net/oder durch das Recht und Richter gegeben/sich der Vor-
mundschafft nicht unterziehen sol/die Verwaltung sey ihm
dann zuvor durch die Obrigkeit decerniret und anbefohlen/
(2) Requiritur confectio inventarii, quod adhibito & requi-
sito tabellione cum testibus ritè est conficiendum, & in eo
omnia bona pupilli exactè sunt describenda, adeo ut nec
mater nec tutor honorarius à confectioe inventarii libe-
retur, quia lex non distinguit. *l. fin. §. t. C. arbit. tut. l. 24. C.*
de adm. tut. d. Rec. verb. Daß er nach befohlner Verwaltung
von allen Gütern liegend und fahrend / Schuldbrief und
Regiestern ein inventarium auffrichte. *d. Ref. Pol. t. 32. §. 3.*
Omissa enim inventarii confectioe tutor ut suspectus re-
movetur cum infamia. *d. l. fin. §. 1. C. arbitr. tut.* atque ad in-
teresse pupillo præstandum, quantum in litem juratum
fuerit, obligatur. *l. 7. init. ff. de adm. & per tut.* nisi confectio
inventarii à testatore fuerit remissa. *l. ult. C. arb. tut. ne sc.*
patrimonii secreta pandantur. l. 2. C. de alim. pup. præst. vel
fortè aliqua necessaria & justissima causa allegari possit,
cur id factu non opus sit. d. l. 7. ff. de admin. & per tut. Re-
missa tamen inventarii confectioe, tantum solennis con-
fectio,

Quomodo
tutela ritè
suscipiatur.

fectio, non vero consignatio rerum pupillarium remissa vi-
detur, cum tutor nihilominus sit obligatus res privatim
adhibitis cognatis pupilli, conscribere. *arg. l. ult. C. arb.*
tut. Frid. Prückm. vol. 1. Consil. 48. n. 25. Et seqq. Carpzov. in
Jurisp. for. p. 2. c. 11. d. 4. n. 10. (3) Requiritur Satisfactio,
i. e. tutor debet cavere per fidejussorem, quod velit, qua
par est, fide & diligentia, tutelam administrare quod ho-
die non necessarium videtur, sufficit enim multis in locis
nuda promissio facta sub hypotheca bonorum, Bey Ver-
pfendung aller Haab und Güter. d. Ref. Pol. t. 32. §. 3. Habn.
ad tit. ff. rem pup. salv. fore n. 2. (4) requiritur Juramenti
præstatio; Germ. der Vormunds Eyd. Nov. 72. c. fin. l. 27.
C. de Episc. aud. Ref. Pol. de anno 1577. t. 32. §. 3. in verb.
auch mit Gelübden und Eyden beladen werden; formulam
ejusmodi juramenti vid. in der Cammerger. Ordn. p. 1. t. 76.
in der Fürstl. Braunsch. Hoffger. Ordn. t. 26. Sic rite
suscepto munere tutelæ. (5) Tutores hodie singulis annis
etiam irrequisiti & sua sponte rationes reddere tenentur,
Clementin. 2. §. ut autem præmissa de religios. dom. Ref. Pol.
de anno 1548. t. 31. §. item daß er nach befohlner Verwal-
tung: die Policeny Ordnung de anno 1577. t. 32. §. 3. In verb.
Und jährlich nicht allein auff Erfoderung der Obrigkeit son-
dern auch selbst vermöge seines anbefohlnē Ampts auch ge-
leisteten Pflicht und Andes gebührlich Rechenschaft anbie-
ten und thun. Idem est constitutum in D. Henrici Julii Con-
stitutione und Fürstl. Ordn. der Heinrichs Stadt / tit. von
Vormundschaft 15. §. Es sollen auch die Vormünder in
benseyen zweyer Rahtspersohnen und des Stadtschreibers
der Unmündigen nechsten Blutsfreundē alle Jahr von ihrer
Verwaltung richtige Rechenschaft thun. Nec aliud in foro
Saxonico observatur: per text. in Landr. l. 1. art. 23. §. Und
aber

obonou
221 abam
1111111111

aber so des Kindes Erbe ist & in *Weichbild. art. 40.*; §. und
 sol den Kindern; Ille tamen casus Jure Saxonico excipi-
 tur, si tutor, simul hæres proximus pupillo existat: tunc
 enim finita demum tutela rationum redditioni obnoxius
 est. *Landr. l. 1. art. 23. in fine; ibiq; Glossa ordin. Carpzov.*
in J. F. p. 2. Const. 11. d. 3. num. 10. & seqq. Richter. decis. 13.
num. 23. Verum de jure communi semper tutores non
 nisi finita tutela rationes reddere tenentur. §. *ult. h. l. nisi*
 finita 4. ff. de Admin. tut. Absurdam namque esse ait Ul-
 pianus à tutore rationem administrationis negotiorum
 pupilli reposci, in qua adhuc perseverat. *l. 9. §. & gene-*
raliter. 4. ff. de tut. & rat. distr.

XXVI.

Quemadmodum omnis societas non melius conserva-
 tur quam si quisq; sociorum recte suo fungitur officio, ita
 & societas inter pupillum & tutorem intercedens. Ex parte
 igitur hic de officio tutoris ab Imperatore actum fuit; In
 universum autem illud in tribus consistit; (1) in personâ
 pupilli defendenda. §. *1. inst. de tut. l. 1. ff. eod. l. 30. ff. de*
 adm. & per tut. Quo præcipuè spectat, quod non tantum
 sumtus institutionis *l. 3. §. 5. ff. ubi pup. educ. & alimenta*
 pro modo facultatum pupilli exhibere l. 2. l. 3. ff. d. t. l. 1.
 §. *2. C. de alim. pup. præst.* verum etiam educationem pu-
 pilli dirigere debet, nam non rebus duntaxat sed moribus
 pupilli præponitur; *l. 12. §. 2. ff. de adm. & per tut.* quæ ple-
 rumque apud matrem fieri solet, nisi vitricum superindu-
 cat. *l. 1. C. ubi pup. educ.* vel etiam apud alium necessari-
 um maxime idoneum minimeque obnoxium suspicioni-
 bus. *l. 1. ff. d. t. l. 2. C. eod.* Consistit (2) Tutoris officium
 in bonis pupillorum administrandis, adeoque omnia ne-
 gotia pupilli cum libera potestate tanquam dominus ge-
 rere

Modus
 conserv.
 societ.
 tutelariss.

E

rere



rere potest l. 27. ff. de adm. & per tut. imo debet statim, cum tutorē se esse scit, nam exinde periculo suo cessat, atq; etiam extra ordinem captis pignoribus ad id cogitur. l. 1. init. § 1. ff. de adm. & per tut. l. 4. C. de susp. tut. Negotia vero illa sunt vel judicialia vel extrajudicialia. Illa sunt actiones, quæ pupilli nomine tum instituendæ tum ad ipsius defensionem suscipiendæ, præsertim si pupillus fari non potest, vel abest & intra septimum ætatis annum existit. l. 1. § 2. § ult. l. 22. 23. ff. de admin. tut. nam id etiam tutor absq; cautione rati facere potest l. 23. l. 13. C. eod. Hæc & negotia extrajudicialia sunt e.g. Erogare ex bonis pupilli, quantum nimirum necessitas & existimatio pupilli exigit: l. 12. § 2. ff. de admin. & peric. tut. eoque etiam pertinent mercedes præceptoribus debitæ, easque tutor non quas minimus poterit sed pro facultate patrimonii, pro dignitate natalium constituet. d. l. 12. § 3. solvat etiam Creditoribus pupilli. l. 23. C. de admin. tut. & quibusdam casibus sibi ipsi, nam pupillum usuris liberare debet. l. 9. § 5. § 7. ff. d. t. Alienabit, insuper res quæ servando servari non possunt. l. 22. C. d. t. exiget pecuniam à debitoribus pupilli. l. 46. § 7. ff. d. t. non vero donandi neque etiam diminuendi causa cum debitoribus pupilli vel aliis transigere potest. l. 46. § 7. l. 22. ff. d. t. Uno verbo quæcunque diligens paterfam. in rebus propriis agere potest, eadem etiam tutori in rebus pupilli permessa sunt. l. 33. in ff. de admin. tut. nam quantum ad providentiam pupillarem domini loco habetur. l. 27. ff. ad d. t.

XXVII.

Tertium & ultimum in quo consistit tutoris officium est Tutoris autoritas, quæ describitur quod sit approbatio negotii, quod à pupillo geritur, tametsi enim pupilli non pote-

poterant absque tutoribus negotia administrare, tamen cum essent domini, permittebant Romani, simulac septimum annum attigissent, atque adeo infantiam essent egressi, (cum ante illud tempus nihil agere poterant propter deficientem intellectum *§. 9. instit. de inutil. stip.*) negotiis inter esse & praesentes ipsi negotio celebrando adhiberi. Verum cum non poterant discernere, an negotiū ipsis esset utile nec ne, tutor necessario propter imbecillitatem iudicii, debebat voluntatem suam consensum s. autoritatem ipsis pupillis negotium gerentibus accommodare *l. 1. §. 2. §. ult. ff. de admin. & per tut.* Hæc ipsa vero (1) in quibus negotiis & (2) quomodo interponi debeat paucis nunc videbimus. Quoad prius disting. an scilicet ipsi pupillo negotium sit cum ipso tutore, an cum contutore, an vero cum tertio quodam. Priori casu tutor non potest autoritatem suam interponere, cum nemo autor possit fieri in rem suam, sed hoc casu alius Curator adjungitur pupillo, qui peracto negotio Curator esse definit. *l. 1. l. 7. ff. de autor. tut.* secundo casu reliqui tutores autoritatem suam pupillo agenti accommodare debent, si vero cum extraneo agit pupillus, ipse tutor pupillo autor debet esse i. e. approbator, tam in judicialibus quam extrajudicialibus negotiis, in illis enim absque tutoris autoritate, non habet legitimam personam standi in iudicio *l. 1. §. 2. §. ult. ff. de admin. tut. l. 2. C. qui leg. pers. stand. in jud. hab. vel non.* In foro tamen hodie citatio statim indistincte contra tutores decerni nec observari solet discrimen, utrum ipse tutor litiget, an vero litiganti pupillo autoritatem præbeat. *Brunnem. ad l. 1. ff. de admin. & per tut. n. 8.* Verum in extrajudicialibus negotiis distinguitur, an nim. ejusmodi sint *per que conditio pupilli melior an vero talia per que ejus conditio*

ditio possit reddi deterior: In prioribus rursus nullâ opus est autoritate tutoris, & à pupillo solo sine ejus interventu possunt celebrari, qualia negotia sunt omnes contractus, in quibus pupillus alium sibi obligat vel ad dandum vel ad faciendum aliquid; v.g. si pupillus sibi quid stipulatur dari à tertio, it. si quid ipsi donatur, it. si debitum remittitur, in posterioribus vero, in quibus metus læsionis subest, & in quibus pupillus potest obligari, omnino debet intervenire tutoris autoritas, qualia negotia sunt omnes contractus qui mutuas producant obligationes & (2) quibus pupillus se ipsum obligat, v.g. si alteri pupillus aliquid promittit, vel si contractum Emt. vend. init. Hic vero contractus ut possit rite cum consensu tutoris celebrari, disting. inter res mobiles, & immobiles vendendas; Priores, vel possunt *servando servari vel ita non possunt servari*, h.e. non possunt durare ultra triennium *Montan. de tut. c. 33. n. 166.* Hæ res bene à tutore alienari & vendi possunt, non vero priores, modo sint pretiosæ, istæ enim æque ac immobiles alienari nequeunt, nisi sequentia requisita observentur. (1) ut justa adsit causa alienationis uti est nimium urgens æs alienum pupilli, vel similis necessitas; non vero hic sola sufficit pupilli utilitas, quia ob æris alieni necessitatem, non vero ob utilitatem permittenda est alienatio. *l. 5. §. 14. l. 13. ff. de reb. eor. qui sub tut. l. Cura sunt. l. 12. C. eod.* (2) ut magistratus illa de causa prius cognoscat. *l. 6. 16. C. d. t. l. 5. §. 9. 10. l. 7. §. 3. ff. eod.* (3) ut demum causa cognita magistratus alienationem decreto suo confirmet *l. 6. l. ult. C. h.* His vero non observatis alienatio est ipso jure nulla *l. 2. C. d. t.* idem obtinet si alienationis decretum à magistratu per obreptionem impetratur, nam prædium alienatum cum fructibus potest vindicari

dicari *l. 5. §. 13. ff. d. t. l. 5. C. eod.* vel licet alienatio substi-
stat, tamen si pupillus sit læsus, licet infra dimidium, ipse
habet restitutionem in integrum. *l. 11. C. de præd. & al. reb.
sine decr. non al.* Porro talis contractus est (3) Locatio
conductio (4) Mutui, (5) Mandati (6) Depositi, in quibus
omnibus pupillus bene alium, cum quo contrahit, sibi
quidem obligat. *l. 9. pr. ff. de aut. tut. l. 9. §. 7. ff. de reb. cred.*
ipse tamen alteri nullo modo, ne quidem naturaliter obli-
gatur. *l. 41. ff. de condict. indeb. l. 59. de obl. nisi (1) pu-
pullus locupletior sit factus l. 3. §. 4. ff. de negotiis gest. l. 1.
§. 15. ff. de pos. l. 13. de cond. indeb.* (2) Dolose egerit in
contactu *d. l. ff. de pos.* tum enim malitia supplet ætatem
l. 3. C. si min. se major. dix. (3) si non agatur de pupilli
damno sed solum de alterius præjudicio, puta Creditoris;
*§. 3. inst. quibus mod. toll. obl. Fidejussoris. l. 127. ff. de
verb. obl.* & hæc ita obtinent si nimirum obligatio ini-
tium capit ex persona: Quando enim ex re ipsa venit obli-
gatio & aliquis etiam ignorans absque consensu suo obli-
gatur, v. g. si communem cum alio habet fundum pupil-
lus & in illum aliquid impenditur, omnino sine tutoris
autoritate ad id pro sua rata restituendum obstringitur.
l. 46. ff. de Obl. & A.

XXIIX.

Porro tale negotium est ipsa hæreditatis aditio, cum *§. 1.*
enim in hæreditate sæpe lateant debita, ac proinde metus
subsit læsionis hanc ipsam pupillus non potest adire,
ita ut sit obligatus sine tutoris autoritate, & licet spere-
tur etiam lucrosa, tamen cum aditione ipsa fiat obligatus
ad æs alienum solvendum, & legata ac Fideicommissa præ-
standa, eoque ipso decipi possit, plane non obligatus est
pupillus, nisi expresse accedat Tutoris approbatio. *Pos-*

E 3

fitis

sitis sic negotiis in quibus opus est autoritate tutoris, *Mo-*
odus qq. interponendæ autoritatis omnino considerandus
 est: ubi duo iterum requiruntur (I) ut in ipso negotio
 tutoris autoritas interveniat, cum ad personæ integratio-
 nem pertineat, & pupillus sine tutoris autoritate, propter
 iudicium imperfectum, inhabilis sit ad negotium celebra-
 dum. Dicitur autem in ipso negotio tutoris autoritas
 intervenire (1) si ipse tutor cum pupillo negotium tractet
 (2) si negotium à solo pupillo sed coram præsentem tu-
 tore geratur, & hic statim interveniat idque approbet
 §. 2. h. (3) si tutor præsens autoritatem interponat nego-
 tio futuro & mox celebrando: *Cujac. l. 13. obs. 31.* (4) si
 tutor negotium se absente à solo pupillo gestum mox in-
 tervenirens & de eo accuratè edoctus approbet *l. 25. §. 4.*
ff. de acquir. her. quæ enim in continenti fiunt post nego-
 tium, antequam partes contrahentes ad alium actum tran-
 seunt, illa dicuntur esse pars negotii. *l. 31. pr. ff. de Usucap.*
l. 1. inf. ff. de solut. Imo sequi etiam post aliquod tempus
 tutoris autoritas potest si contractus pupillo sit utilis.
Montan. de Tut. c. 31. n. 54. (II) Ut interponatur expresse
 non tacite. *arg. l. 1. §. pen. & ult. ff. de Tut. pure non*
sub conditione l. 8. ff. de aut. & cons. tut. & quidem à
 tutore præsentem animo & corpore, non itaque per nunci-
 um aut epistolam fieri potest, §. 2. h. licet consensus per
 Epistolam explicari queat, neque etiam tutor invitatus ad
 autoritatem præstandam compellitur. *l. 17. ff. h. quia da-*
tur actio contra tutorem, si læsus sit pupillus.

XXIX.

T. XXII.
 Modus fi-
 niendæ so-
 cietatis tu-
 telaris.

Hucusque de modo tum ineundæ tum conservandæ
 tutelæ, nunc sequuntur modi, quibus & ipsa finitur. Hi ve-
 ro modi desumuntur partim à fine Tutelæ, partim à per-
 sonis

sonis ipsis, partim à modo. Finis tutelæ est defensio pupilli, qui se ipsum regere nequit; quod si itaque ad eam pervenerit ætatem, ut sibi ipsi possit prospicere & regimine tutoris non indigeat, cessat qq. ipse finis, cujus gratia hæc societas est constituta & consequenter ipsa tutela. Præsumunt vero LL. sufficientem in pupillis prudentiam ad suam personam regendam, quando ad pubertatem venerunt, si scil. masculus complevit 14. & fœmina 12. annos, & id qq. sequitur jus Saxoneum, quia in eo nihil hac in re immutatum reperitur. *Carpzov. in Ipr. for. p. 2. c. 11. d. 9. n. 10.* & hoc tempus etiam in Principibus locum habet. *Montan. de tut. c. 37. reg. 3. n. 71. A. B. t. 7.* verb. Die an einen Churfürsten. Licet in Electoris impuberis tutela sive administratione secus sit, quæ vi Aureæ Bullæ demum decimo octavo anno completo expirat. *A. B. t. 7.* in verb. Vollkommene Jahr erreicht/die an einen Churfürsten auff achzehen ganze Jahr sich erstrecken sollen. *Limn. l. 7. Jur. Publ. c. 7. n. 37. & sqq.* Verum licet pupilli puberes facti habiles sint ad suæ personæ prospiciendum, non tamen videntur sufficienti intellectu instructi ad res suas recte gerendas; Hinc hodie ex communi Germaniæ consuetudine ipsi puberes manent sub cura illius, qui gessit tutelam usque ad annos majorennitatis. *Ord. Pol. de anno 1577. t. 32. Gail. l. 2. observ. 96. num. 1.* si tamen tutor nolit continuare Curatelam ad id invitatus cogi nequit. *§. 18. Inst. de excus. tut. l. 20. C. eod. Sneider. ad in. b. t. n. 3. Carpz. in I. F. p. 2. c. 11. d. 10.* ubi id præjudicio corroborat; Hat euer Bruder das 14. Jahr seines alters völkömlich erreicht/so ist auch Johan Biedeman seine Vormundschaft damit er vom Raht beleget worden/wieder setzen willen ferner zu verwalten nicht schuldig.

Inita

Pubertas.

XXX.

Mors na-
turalis.

§. 1. 2. 3.
Mors Ci-
villis.

§. 2. & 5.

§. 6.

Modus finiendi tutelam à personis desumptus est (1) *Mors naturalis*, tam pupilli quam tutoris (2) *Mors Civilis*, h. e. *maxima & media capitis diminutio*, tum pupilli tum tutoris; Pupilli, quod per utramque Libertas & Civitas amittatur, jam tutoris potestas solum est in caput liberum §. 1. *inst. de tut.* & solum etiam tutores Civibus Romanis constituuntur; Tutoris, quia homines liberi solum & Cives ad tutelam admittuntur: *Minima vero capitis deminutio* tantum in persona pupilli, quando in alienam familiam per arrogationem transit, novumque accipit parentem, adeoque tutore non amplius opus habet, tutelam finit, non vero in persona tutoris, & hoc quoad dativam & testamentariam tutelam nullam dubitationem habet; Secus vero olim erat in legitima tutela, quæ minima capitis deminutione tollebatur, cum per ipsam perimebatur fundamentum tutelæ, nempe jus agnationis. Verum cum jure novo etiam cognati ad legitimam tutelam admittantur, hic finiendæ tutelæ modus hodie exolevit. Quartus modus desumptus à modo constitundi tutorem est (1) quando tutor testamentarius constitutus est sub certa conditione, cujus eventu tutela ipsa finitur (2) si tutor est datus ad certum tempus, quo adveniente tutor ipse esse desinit; verum hi duo modi tantum ad tutelam testamentariam non vero legitimam nec Dativam pertinent. Demum finitur tutela per remotionem, quando scil. tutor incipit rem pupilli male administrare, de quo pluribus ad *t. ult. de susp. tut.* vel etiam per excusationem à tutelâ, quo tamen casu accurate loquendo tutela plerumque non finitur, cum adhuc nondum sit cæpta, sed potius non suscipitur: Et tantum de Tutela ejusque speciebus.

XXXI. Finita

XXXI.

Finita tutela Jure Romano incipit Curatela, licet enim pupilli puberes facti videantur suae personae prospicere posse, aetas tamen eorum adhuc est infirma ad res suas recte gerendas, proinde ut alius eligatur, qui eorum res administret, ipsa necessitas flagitat, hic vero non dicitur tutor sed Curator, quod solum res minoris administret, in negotiis enim quae spectant ejus personam, curatore non opus est, quale negotium v. g. sunt (1) Sponsalia (2) Nuptiae. l. 8. de nupt. nisi statutum in aliquo loco aliud exigat; Inde patet differentia tutorum & Curatorum, illi enim primario personis, secundario rebus, hi vero solum rebus dantur. Hinc definitur Curatela ex l. 1. pr. ff. de Cur. fur. quod sit potestas jure permessa ad res administrandas eorum, qui quocumq. modo rebus suis ipsi praesse nequeunt. Potestas dicitur jure permessa, inde aequae ac tutela est officium Publicum, & in eo inter sese conveniunt.

T. XXIII

Init.
Finita Tutela incipit Curatela.

Definitio Curatela.

XXXII.

Cum vero in officio Publico sint considerandae personae, ita etiam hic videndum, quinam possint esse Curatores, (2) quibus sunt dandi Curatores & (3) qui dare illos possint. Quod attinet illos qui dare possunt, de iis jus Civile hanc regulam format: Quicumque magistratus possunt dare tutores, iidem quoque possunt dare Curatores, non vero Jure Civ. testamento ullus Curator dari potest: l. 7. C. de test. tut. Causam hujus rei valde obscuram esse dicit Dn. Eichel. adh. t. in priv. praed. Hodie tamen omnes magistratus indistincte Curatores dare possunt: & idem parentibus in testamento permissum esse videtur per all. Rec. de anno 1577. t. 32. §. 1. in verb. Das den Pupillen und minderjährigen Kindern/bis sie zu ihre vogtbahren

Triples persona hic consideranda.

§. I.
(1) Quinam dare possunt Curatores.

Handwritten notes in cursive script, including phrases like "Eni sunt reo", "inuito curator o", "volenti §. 2. §. 1. a. en", "stituit in testam", "teriy arbitrio o", "re dnt l. 32. §. 1. de s".

F

vogtbahren



(2) Qui-
bus Cura-
tor datur.

§. 2.

§. 3. & 4.

vogtbahren Jahren kommen/Vormunder und Vorsteher/
da die ihnen von ihren Eltern in testamenten oder letzten
willen nicht verordnet. &c. De personis quibus dandi sunt
Curatores sic argumentor ex defin. Quicumq; rebus suis
ipsi præesse nequeunt, illis dandi sunt Curatores; Atqui ta-
les (1) sunt qui ob infirmitatem intellectus res suas admi-
nistrare non possunt, uti minores, qui tamen inviti Cura-
tores non accipiunt Jure Romano, nisi in negotiis judicia-
libus & aliquando in extrajudicialibus, (1) si minor sibi
velit aliquid perfolvi & (2) quando tutor rationem vult
reddere suæ administrationis. *l. 1. 7. C. qui pet. tut. l. Cur.*
Hodie vero minores videntur necessario cogi posse ad Cu-
ratores in quibuslibet negotiis admittendos. *de R. Pol.* ubi
generaliter constituitur. So wollen wir daß den Pupillen
und unmündigē Kindern jeder zeit/ biß sie zu ihren vogt-
bahren Jahren kommen/Vormunder und Vorsteher ge-
geben werden. *Carpzov. l. 1. Resp. 86. n. 36.* (2) Tales sunt
ob vitium corporis perpetuo morbo laborantes, item surdi
& muti vel ob vitium animi furiosi, prodigi & mente capti,
qui differunt à furiosis, quod illi extrinsece dilacerando
crines vel vestes mentis exilium demonstrent, Hi vero
non extrinsecè sed aliis ineptis actionibus ostendunt defe-
ctum quendam intellectus & voc. Germ. Gottesmenschen.
Prodigi vero hi non sunt omnes qui luxuriose vivunt &
moraliter tantum possunt dici prodigi, sed illi tantum,
quibus ob vitium illud morale ipsa administratio bono-
rum à judice interdicta est. Observandum tamen hos esse re-
gulariter in Curatela suorum agnatorum sive cognatorum,
sine quorū consensu nullus efficaciter cum prodigo vel fu-
rioso potest contrahere, ita ut ipsum sibi obliget nisi tamen
possit probare, se ignorasse illum à magistratu esse pro-
digum

Quigum declaratum. *Carpz. p. 2. c. 15. d. pen.* Demum tales etiam sunt ipsi pupilli impuberes, qui jam tum actu habent tutorem, qui tamen tutelam administrare per impedimentum vel corporis vel animi inidoneus redditur, vel justum ad tempus sese à tutela excusandi causam habet, hoc enim casu locum habet regula, tutorem habenti tutor dari nequit, quod constitutum videtur ad evitandum sinistrum hominum judicium, quasi prior tutor sit remotus, quod valde erat famosum. Demum & pupilli, qui plane tutorem non habent aliquando curatorem accipiunt, si forsitan oriuntur ipsis lites cum alio nec statim tutores inveniri possunt, tum enim quoad litem ipsi Curator tamdiu constituitur donec illa sit decisa. *Phil. Ecl. 87. ad Inst. Carpzo v. l. 5. Resp. 86. num. 18.* nam si tutorem habenti, sed cum tutore litiganti, dari potest curator, quia hoc casu pupillus eodem loco est ac si nullum haberet tutorem, cur non etiam pupillo plane tutorem non habenti Curator ad litem dari non possit, nulla videtur subesse causa. *Brunnem. ad l. 1. C. de in lit. dand. tut. vel Cur.* Ex his facile est judicare de iis quibus non datur Curator, nempe qui perfectæ sunt ætatis nec animi vel Corporis vitio ullo laborant vel veniam ætatis impetraverunt. Ut vero quis veniam ætatis possit impetrare, requiritur ut sit annorum 20. si est masculus, si fæmina annorum 18. (2) ut hanc ætatem probet instrumentis vel quinque testibus una cum frugalitate & bonis moribus, quibus requisitis existentibus, necesse est ut petat veniam ætatis à principe, vel eo hodie, qui principem repræsentat, quod si illam impetraverit, habetur pro majore, & sine ullo Curatore æque ac major potest quævis negotia contrahere *l. 1. 2. §. 1. C. de his qui ven. et. imp.* excipiuntur tamen alienationes rerum immobili-
F 2 lium

§. 5.

Quibus
Curator
non datur.

Requisita
ad veniam
ætatis im-
petrandam.

lium, quæ à minore, licet veniam ætatis impetraverit, sine decreto magistratus fieri nequeunt. l. 2. §. 1. l. 3 C. qui ven. et. im. Cæterum & hoc observandum est, à Tutore diversum esse actorem, quem ipse eligit tutor in locum suum & petit à magistratu ut ille periculo suo confirmetur, quod ipsi J. Civ. permittebatur, quando scilicet ipse tutor vel Curator adversa valetudine vel alia necessitate impediabatur quo minus negotia pupilli administrare posset, vel etiam (2) quando pupillus erat absens vel infans; vocatur etiam adiutor tutelæ. l. 13. §. 1. ff. de Tut. quod etiam in negotiis alibi gerendis interdum necessarium est Brunn. ad d. l. 13. n. 2.

T. XXIV.

In itin.
Quomodo
cautio à
Tut. & Cur.
præstanda.

XXXIII.

Constituta sic curatela sequitur ejusdem conservatio, quæ tum fit, si uterque sociorum suum præstat officium. Officium vero Curatoris consistit in diligenti bonorum minoris administratione, atq; adeo, quoties minor actum aliquem vult gerere, qui ad ipsius bona spectat, toties ipse Curator, si è re minoris fore arbitratur, consensum suum interponere debet; in suo vero officio ut uterque tam Tutor quam Curator eo diligentius versetur, jura ab ipsis satisfactionem exigunt, quâ nimirum tam pupillus quam minor securus redditur adversus omne periculum aliàs ab hisce personis metuendum. Omne vero illud quod aliquem securum reddit vel est in homine ipso vel extra hominem; In homine sunt verba, quæ vel sunt simplicia & nuda vel non simplicia sed religiosa: quando nudis verbis aliquis præstat cautionem & per illam alterum securum reddit, cautio illa vocatur verbalis sive simplex cautio, quæ rursus est duplex; vel enim verba ore proferuntur vel scriptis; si ore, cautio dicitur Eine mündliche Versicherung/

sicherung/ si vero scriptis, eine schriftliche Versicherung/
ein Revers; si verbis *religiosis* alter securus redditu, cautio
dicitur *juratoria*, eine äidliche Versicherung: *Extra ho-*
minem sunt *res & personæ*; Si *rebus* præstamus cautionem,
ipsa vocatur cautio *oppignoratoria*, estque itidem duplex
vel enim *res*, qua fit cautio, traditur vel non traditur sed
jus hypothecæ in illa constituitur; Priori casu cautio in
specie dicitur *pignoratoria*, posteriori vero casu cautio *hy-*
pothecaria. Quando vero ipsis personis cautionem præ-
stamus, ista cautio vocatur *fidejussoria* & in specie *satisfactio*,
Germ. Eine bürgliche Versicherung. Romani, ultimam
hanc cautionem omnium tutissimam putantes, illâ con-
sultum ierunt ipsis pupillis & minoribus, ita ut tutores
& Curatore, non rebus sed personis tenerentur cavere:
Postmodum vero præter satisfactionem etiam tacitum
pignus tributum est ipsis pupillis & minoribus, à die susce-
pti officii vel confirmatæ tutelæ & Curæ, von Zeit der auff-
getragenen Vormundschaft/ in omnia bona tutorum vel
Curatorum, in tantum, ut etiam, pupilli in illis haberent
beneficium prælationis *l. 20. C. de adm. tut. l. un. C. de rei*
uxor. ad l. 42. ff. de adm. tut. Flabn. in obseru. ad t. de pri-
vil. cred. § 756 Brunn. ad d. l. 42. ff. de adm. tut. n. 1. § 2.
Demum Jure Novissimo etiam cautio Juratoria præstan-
da est. *Nov. 72. c. ult. R. Pol. de anno 1548. t. 31. §. 3. & de*
anno 1577. t. 32. §. 3. in verbis auch mit Gelübden und An-
den beladen werden. Verum Jure Civili satisfacere debebant
omnes in quibus erat metus ne bona male administra-
rent, in quibus vero ille metus cessabat, hi immunes
erant à satisfactione; Atque talis est tutor quem ipse
testator elegit, (2) qui ex inquisitione tutor vel Curator
est datus, nam eorum fides & diligentia jam tum ab

eligentibus erat approbata. In quibus autem ille metus
aderat satisfacere tenebantur, quales erant agnati & cogna-
ti, (2) Testamento dati ab extraneo, (3) Dati sine in-
quisitione. Hodie vero secundum dictas *Ref. de anno*
1548. l. 31. §. 3. de anno 1577. l. 32. §. 3. non amplius
distinguitur, sed quivis tutor, qualis qualis sit, indistincte
cautionem prestare tenetur.

XXXIV,

§. 1. Ipsum autem quod dictum fuit tutorem à testatore ele-
ctum & ex inquisitione datum non satisfacere, patitur de
Jure Civili limitationem; quando sc. plures dati sunt tuto-
res vel Curatores, & unus eorum offerat satisfactionem tum
ille unus in tutelæ vel Curæ administratione reliquis tuto-
ribus vel Curatoribus præferendus est, vel reliqui tutores
vel Curatores tenentur cavere, & eo ipso illum, qui se ob-
tulit, excludunt; Licet enim plures dati sint tutores vel
Curatores, tamen consultius est ut uni administratio com-
mittatur, ne tutela nimis sit diffusa; Segnius enim effici-
unt commissa negotia plures. *Aristoteles l. 2. Polit. c. 3.*
Quod si vero nemo eorum satisfactionem offerat, tum vel
adscriptum est à patre, quisnam ex pluribus administra-
tionem suscipere debeat, vel hoc ipsum non adscriptum
est: Priori casu, ille quem voluit parens, sine ulla satisda-
tionem ad tutelæ administrationem admittitur, nisi tamen
post defunctum patrem mores illius tutoris forsan muten-
tur, vel ipse labatur facultatibus, tum enim satisfac-
tio ab ipso potest exigere. *Phil. Ec. 88 Sneider. ad b. t. n. 10.*
Posteriori casu, aut ipsi tutores eligunt quendam ad ad-
ministrationem, vel non eligunt; si prius, tutor, à majore
tutorum parte electus, admittitur; si posterius, vel tuto-
res non possunt inter se convenire de eligendo, tum ma-
gistratus

gistratus partes sunt eligere ex illis administratorem & ab eo cautionem exigere.

XXXV.

In eligendo vero administratore vel à constituto cautionem exigendo oportet magistratum valde se cautum præstare, ita ut accuratè inquireat tum in illius fidem ac diligentiam, tum in ipsius res ac bona. Si enim vel non omnino à tutoribus vel Curatoribus cautionem exegerit vel non idoneè sibi caveri curaverit, tum ipse magistratus ejusque hæredes demum in subsidium tenentur pupillo & minori qui ab ipsis possunt damnum, in illos ratione inidoneæ cautionis redundans, deficientibus omnibus aliis actionibus, repetere, si nempe neque tutores vel Curatores eorumque hæredes, neque fidejussores eorundem sunt solvendo, & hinc actio illa adversus magistratum competens, vocatur subsidiaria, quod excussis omnibus aliis reis demum in subsidium competat, cujus actionis usum & hodiènum esse confirmat *Hahn. ad t. ff. de mag. conven. Carpzov. J. F. p. 2. c. 15. d. 41.* si vero tutores magistratui nolint cavere possunt ab illo pignoribus captis ad id cogi, h. e. magistratus potest tantum ex bonis tutorum sumere, quantum sufficit in minoris vel pupilli securitatem, & si tamen adhuc in contumacia perseverant, à tutela tanquàm suspecti sunt removendi *l. 3. C. de susp. tut.* Jure vero Civ. non omnes magistratus sed tantum nonnulli hac actione tenentur, qui nimirum satisfactionem exigere solent. Hodie tamen indistinctè quivis magistratus ad cautionem exigendam est obligatus, licet enim ex *l. 20. C. de adm. tut.* bona tutoris ipso jure pupillo tacite sint oppignorata, nihilominus tamen si bona illa non videntur sufficere, magistratus debet sibi de satisfactione prospici-

§. 2.

Subsidiaria actio
quænam.

§. 3.

§. 4.

prospicere, alias enim ad interesse conveniri potest, *Joh. Brunn. ad tit. C. de tut. l. cur. qui satisd.*

XXXVI.

T. xxv.

Init.

Quinam
se possunt
excusare
à tutela.

Quia vero Tutela & Cura est publicum aliquod munus *l. i. §. 4 l. ult. §. i. ff. de mun. Et bon. l. 9. ff. de his qui sui vel al. jur.* ideo nemo se à delata tutela vel Cura excusare potest, nisi justam excusandi causam habeat. Videndum hic itaque est (1) quænam sint illæ causæ, & (2) quomodo sint proponendæ: Quod (1) attinet, illæ oriuntur vel ex aliquo privilegio vel ex impedimento ipsius tutoris vel Curatoris, ut sic argumentari liceat: Quicumque vel privilegio ab onere tutelæ sunt exempti, vel (2) ob impedimentum aliquod vel naturale vel Civile tutelam & Curam rectè administrare nequeunt, illi omnes habent justam causam sese à tutela excusandi. Impedimentum vero illud vel oritur ex defectu potentia tantum, vel voluntatis tantum, vel ex defectu utriusque: Impedimentum quod facultatem excludit vel est extrinsecum vel intrinsecum; intrinsecum inest corpori vel animo; Animo tutorum vel Curatorum inest vel ratione intellectus vel ratione pravi & corrupti appetitus; ratione intellectus inest tale impedimentum senibus ac decrepitis & ad pueritiam redeuntibus; ratione appetitus cessat facultas in ipsis prodigis; ratione vero intellectus & appetitus simul in furiosis: Ratione corporis impeditur intrinsece qui infirma valetudine utitur, ob quam ne propriis quidem bonis superesse potest. Extrinsecum impedimentum vel est privatum vel Publicum, privatum rursus est vel proprium vel alienum; inde omnes qui intrinsece vel extrinsece impediuntur, privilegio quodam gaudent quo se excusare possunt à tutela vel Cura. Atqui talis est Jure Romano (1) ob privile-

Impedimentum
Extrinsecum
Privatum
Proprium
Alienum
Intrinsecum
Animi
Ratione intellectus
Ratione appetitus
Ratione intellectus et appetitus simul
Corporis

privilegium πολυπαις, qui scil. in urbe Roma 3. in Italia
4. in provinciis 5. liberos habet; quo discrimine nunc
sublato *l. 17. ff. de statu hom.* hodie numerum trium libero-
rum excusare alii volunt, *Vid. Habn. ad tit. de exc. tut. n. 3.*
ad verb. Numerus alii vero quinque adhuc requiritur, uti
Phil. ex Carpz. Ecl. 90. ad b. t. Er mag sich solcher Vor-
mundschafft nicht entbrechē/es hette denn derselbe die zu
recht erforderete Zahl der fünff Kinder vorzuschütten; Re-
quiritur vero (1) ut liberi sint nati, inde liberi in utero adhuc
existentes non excusant, nam in aliorum favorem pro natis
haberi nequeunt; *l. 2. §. 6. ff. de excus. tut.* nec adoptivi,
quia ex patre adoptivo non sunt procreati: Inde patet
causam non tam ex impedimento quam ex privilegio ori-
ri, si enim rarione impedimenti ob educandos liberos hoc
esset concessum, adoptivi etiam excusarent, (2) ut sint
justi ac legitimi, naturales igitur liberi non excusant, multo
minus incestuosi, perinde autem est sive sint in patria pote-
state sive emancipati *l. 2. §. 3. ff. de exc. tut.* (3) ut sint vivi,
mortui enim non excusant; sufficit autem superstites esse
tempore delate tutelæ *l. 2. §. 4. ff. de exc. tut.* qui enim antea
decesserunt, his non connumerantur, neque rursus no-
cent, quod postea moriantur *d. l. 2. §. 4.* non autem distin-
guitur utrum sint liberi primi an vero ulterioris gradus, uti
nepotes ex filiis masculis nati, illi enim a vo in excusanda tu-
tela profunt, modo eorum pater fuit mortuus, nam tum
omnes simul sumti pro persona patris connumerantur. *l. 2.*
§. 7. ff. de excus. tut. Nisi tamen in acie pro Rep. ceciderint,
hi enim in perpetuum per gloriam vivere intelliguntur *l. 18.*
ff. h. quod tamen ad eos non pertinet, qui in obsidione in-
tererenti sunt; *d. l. 18.* nam pro re familiari magis quam
pro patria periisse videntur; Ratio vero hujus privile-

G

gii

g. et parvi observat



gii est, ut Cives invitentur ad Civitatem sobole replendam, quæ Romanis, ob perpetua, quæ gerebant, bella, erat necessaria.

XXXVII.

§. 1.

Talis (2) est ob impedimentum extrinsecum Publicum qui res Fiscii administrat, hodie eo pertinent, die Cammertrahthe/Cammermeister/Cammerer/non vero hoc extendendum ad eum qui res fiscii conduxit l. 8. C. b. t. uti hodie est, der ein Ampt Pachtsweise innen hat; Colonus vero principis patrimonialis excusatur l. ult. C. qui dari tut. vel Cur. poss. quin & ille excusandus est qui res principis administrat l. 41. ff. b. t. uti hodie est der auff Rechnung sisset & præfecturam quandam principis administrat & rationes quotannis conficit, hic enim non commode videtur vacare posse tutelæ, cum tempus quod huic curæ impenderet, non sine damno principis administrationi rerum ipsius fidei commissarum subtrahendum ei esset. Notandum vero hanc excusationem non diutius durare quam ipsum præfecti officium vel administrationem rei Fiscalis.

*principis interee obser
getta. conduxit seu d
t interee*

§. 2.

Talis (III) est ob impedimentum Publicum qui Reip. causa abest, ut Legati, hodie tales sunt die Ambassadeurs Abgesandten / Envoyés Abgeordnete / quod etiam ad comites, qui sunt intra statutum numerum, extenditur. l. 45. §. 2. ff. de excus. tut. uti sunt hodie die Legations-Secretarien & similes personæ. Hoc vero impedimentum suboritur ante vel post susceptam tutelam; Posteriori casu, quamdiu legati absunt curator interea constituitur & reversi statim tutelam recipitur. Priori casu à tempore reditus ad novam tutelam suscipiendam anni vacationem habent.

§. 3.

Talis est ob impedimentum publicum qui habet potestatem publicam, uti sunt qui funguntur munere magistratus, vel consulatus vel Ædilium; quod autem munus ædilium attine

attinet, videntur Jcti inter se non omni ex parte convenire *l. 16. §. 4. ff. h. l. 6. §. 16. ff. eod.* Hodie indistincte quilibet ad tutelam novam suscipiendam cogi nequit, nisi ante indeptam magistratus dignitatem jam tum tutelam in sese susceperit, illam enim deserere non potest.

XXXIIX.

(V) Talis est ob impedimentum intrinsecum quod oritur ex defectu voluntatis & benevolentiae, qui litem habet cum pupillo, modo lis sit vel de omnibus bonis vel de maxima bonorum parte; sed Jure Novo ne quidem excusatione opus est, cum nullus creditor & debitor possit dari tutor pupillo. *Nov. 72. c. 1. §. 2.* Excipitur tamen mater & ille Creditor qui in testamento est datus vel Tutor vel Curator, modo tamen sciverit testator vel debitum vel Creditum *Phil. Ecl. 79. Carpzov. p. 2. c. 1. d. 19. n. 3. l. 5. Resp. 88. num. 6.* Jure Saxonico Electorali ejusmodi tutor datus privatur suo Credito, si initio & ingressu administrationis creditum non manifestaverit, juxta *decis. Elect. 34.*

§. 4.

(VI) Talis est ob impedimentum privatum alienum, qui jam ante triplici onere tutelae gravatus est; Oportet vero (1) has tres tutelae non esse affectatas, *l. 15. §. 13. ff. b.* (2) ut sint onerosae, si enim tutelae sint leviores ac modici patrimonii pro affectatis quasi habentur *d. l.* (3) ut sint diversorum patrimoniorum, nam plurium pupillorum, veluti fratrum tutela vel Cura, si sit eorundem bonorum, pro una computatur. *§. 5. h.* Nihil tamen refert, utrum tria haec onera simplicia sint, h. e. tres tutelae, tres Curae, vel mixta h. e. duae tutelae & una Cura, vel e converso *l. 2. §. 9. ff. b.* Et tria ista tutelae onera in una domo, h. e. familia, ita excusationem praebent, ut hinc reliquae istius familiae personae novam tutelam haud gravari queant; Inde si

§. 5.

G a

pater

pater habet tres tutelae filiusfam. à quartâ vacationem ha-
bet, & vice versâ tres tutelae filii familias patrem excusant:
ita etiam si unus frater tribus tutelis est gravatus, alter
ad quartam vocari nequit, modo frater in eadem domo
& familia degat. *l. 5. ff. b. (4)* requiritur & hoc, ut ipsi
pupilli, quos vel jam habet vel habebit in futura tutela,
non proximi sint pubertati *l. 17. pr. ff. b.* Imo interdum
una tutela onerosa & magna sufficit. *l. 31. in f. h.* Et hæc
omnia sunt constituta ob difficultatem rationum confici-
endarum, & ne multitudine negotiorum tutores onerati
res pupillares male administrarent *l. 31. §. fin. ff. b. t. (VII)*
Talis ob impedimentum privatum proprium est pauper,
qui necessitate coactus manibus & operis victum sibi quæ-
rit; Hic enim minus commode aliena negotia curare po-
test, & præterea metus subest ne ex pupillorum bonis quid
detrahat, nisi forsitan ipsi certum aliquod salarium consti-
tuatur. *l. 33. §. 3. ff. de adm. tut.* Quisnam vero pauper sit
habendus arbitrio judicis relinquitur. *Mascard. de prob.
conclus. 1154. n. 8. & seqq. Dn. Eichel. ad b. t. Carpz. p. 3. c. 13.
d. 21. ubi dicit;* So werden durch das Wort Armen die
jenigen verstanden so nichts eigenes haben / sondern sich
mit ihren Handwercken und Handarbeit ernehren müs-
sen. *l. 40. §. 1. ff. h. ubi eleganter dicitur, quod paupertas, quæ
operi & oneri tutelæ impar est, vacationem tribuere soleat.*
XXXIX.

§. 7. Talis est (IIX) ob impedimentum intrinsicum &
quidem corporis qui adversa valetudine utitur, ob quam
propriis rebus superesse nequit. *l. 10. §. 8. l. 11. ff. de excus.
tut. l. 40. eod. l. 1. 2. C. qui morbo se excusant, uti surdus, cæ-
cus, mutus, item ob impedimentum & vitium animi fu-
riosus & prodigus non tantum ne incipiant sed & à cæpta
tutela*

si curatore indiget.

tutela excusari debent. *l. 11. ff. h.* In horum porro numero referuntur tabescentes, Epileptici, Hydropici, Paralytici, febris aut podagra, similive morbo fontico laborantes *v. l. 53. ff. de Edil. edict. l. 60. ff. de re judic. Harprecht. ad hunc §. 7. n. 3. Ant. Perez. in Cod. t. qui morbo se excus. num. 1.* & talis tutor etiam volens non est admittendus, quia tutelæ præesse nequit. *Montan. de Tut. c. 35 reg. 1. n. 154. Brunnem. ad t. C. qui morbo se exc.* (IX) Talis est imperitus literarum qui legere & scribere nescit, nisi tamen tutela fit modica & exigua *l. 6. §. ult. ff. h.* Sic nec rustici literarum imperiti in pagis excusantur, modo non sint expertes negotiorum. *d. l. 6. §. ult. ff. hic.* (X) Talis est ob impedimentum intrinsicum voluntatis inimicus patris pupillorum, sive datus sit à testatore ex odio ut saltem negotiis pupillaribus & litibus exponeretur, sive capitales inimicitias solum exercuit cum eodem. *l. 6. §. 17. ff. h. t.* Capitales vero dicuntur inimicitia, quæ cum eo intercedunt qui nobis intentavit admire vitam vel naturalem vel Civilem, nempe honorem, existimationem, famam & ipsam libertatem vel etiam maximam bonorum partem, quæ altera vita & sanguis noster dicuntur. Requiritur tamen ut nulla intervenita sit reconciliatio, quæ tamen intervenisse præsumitur si inimicitia ipso testamento sint antiquiores. *l. 6. §. 17. ff. b. l. 36. eod.* Inimicus autem non statim dicendus est, qui patri fuit ignotus, in hoc enim æque potestas & voluntas potest esse, inde si quis dicit se esse patri ignotum, propterea liberationem à tutela non impetrat.

XL.

Tales (XII) est senex major septuaginta annis. *l. 3. §. 6. ff. de muner. & bon. l. 2. §. 1. ff. de vacat. mun. l. 3. ff. de jur. immun. l. un. C. qui etate se excusat. l. 10 C. de decur. modo*

§. 8.

si n. quavis tubere neq. rationes bacillis tuis et

§. 9. et nota.

§. 11.

§. 10.

§. 13.

septuagesimum annum compleverit l. 2. ff. b. l. 3. de Jur.
immun. nam in honoribus conferendis annus cæptus pro
completo habetur. l. 8. ff. de mun. & hon. Verum in privi-
legiis & immunitatibus annus completus demum excu-
sationem præbet. d. l. 8. l. 74 §. fin. ff. ad SCtum Trebell. unde
inferunt Doctores, eum qui agit supremum diem anni
septuagesimi, eo die ad tutelam vocatum non excusari.
Habn. ad h. t. n. 3. Idq; constitutum est, quia in Senibus ple-
rumque impedimentum tam ratione corporis quam ani-
mi occurrit, decrescunt enim & viribus ingenii & corpo-
ris, adeoque ut plurimum incommoda utuntur valetudi-
ne, accedit, quod hæc persona in jure honorabilis habeat-
ur ac eidem pene idem honor ac magistratui debeatur,
l. un. C. q. et. se excus. l. 10. C. de Decur. Hisce textibus vide-
tur obstare l. ult. C. qui et. l. prof. se excus. l. 2. §. ff. de
Decur. ubi ætas 55. annorum præstat excusationem, Respon-
distinguendo, aut officium aliquod requirit simul cor-
poris & animi, aut vero tantum vires animi. Ab illo
munere potest sese excusare senex annorum 55, ab hoc
vero non aliter quam si compleverit 70. annos; alii etiam,
nec male, dicunt, in hoc casu id arbitrio judicis committi,
cum senes alii aliis vel citius vel tardius mentis vigorem
amittant. Brunnem. ad l. un. C. q. et. se excus. Talis (XII)
est minor & miles qui ipso jure excusantur, ita ut ne volen-
tes quidem ad tutelam admittantur, minor enim alterius
auxilio egens, haud alium regere debet. p. §. 13. h. Militi vero
excubandum est pro salute Reip. l. 8. l. 23. §. 1. ff. de excus.
tut. l. 4. C. qui dar. tut. non poss. nisi tamen tutor constitui-
tur liberis commilitonum, quo casu locum habet regula,
privilegiatus contra privilegiatum non potest uti suo pri-
vilegio l. 8. in b. l. 41. §. ult. b. idem extenditur ad milites
sacros

de disconveniētia legi-
tate occurrit, hoc vocat
l. un. q. et. se excus.
q. magna itinera, q. m
sunt plena

§. 14.

saeros, uti sunt Clerici & Ministri Ecclesiæ *l. generaliter C. de Episc. & Cler.* quæ tamen non videtur authentica adeoque in decisionibus causarum non admittenda. *Can. generaliter sancimus causa 16. q. 1.* Quippe qui negotiis secularibus sese immiscere haud debent *c. 1. in f. ne cler. vel monach. secul. neg. sese immisc.* Clerici igitur inviti non coguntur recipere aliquam tutelam, possunt tamen, si velint, suscipere legitimam tutelam. *auth. presbyteros. C. de Episc. & Clericis,* nequam vero hoc pertinet ad milites togatos, uti sunt advocati, hi enim eo nomine sese excusare nequeunt.

XLI.

Talis (XIII) est ob privilegium, qui publicam aliquam disciplinam proficitur, uti sunt Philosophi, Grammatici, Medici &c. Hi enim dum publicæ utilitati inserviunt, aliis muneribus vacare nequeunt *l. 6. §. 1. & seqq. ff. b.* Olim quidem *ex l. 3. & 4. C. de profess. & Med.* non habebant immunitatem Arithmetici, Poætæ & Geometræ, sed contraria consuetudine his textibus est derogatum, cum hodie omnis professor sese excusare possit, modo revera in numerum professorum sit receptus & diligenter suo fungatur officio *l. 6. §. 2. & 4. ff. b. Brunnem. ad l. 3. & 4. C. d. t.* Nec etiam hodie requiritur ut in patria hæc artes exerceat; non tamen excusatur si professorum & collegarum liberis tutor constituatur, quod privilegiatus contra privilegiatum non possit uti privilegio suo. *l. 41. §. 2. ff. b.* Iuri vero nec olim nec hodie facile excusantur, nam videntur juris Sacerdotes, nullibi autem melius sacerdotio juris fungi possunt, quam in defendendis pupillis. *l. 6. §. 12. ff. b. nisi in negotiis principum sunt occupati l. 6. §. 14 ff. b. l. jurisperitos 30. ff. de Excus.* Et tantum de justis excusationum causis

S. 150

causis, jam quomodo illæ proponendæ (2) apud quos
& (3) Intra quod tempus ulterius inquirendum.

XLII

§. 16.
Modus ex-
cusationis
proponen-
dæ.

Apud quos
causæ ex-
cusationū
proponen-
dæ.

Tempus
intra quod
causæ ex-
cusationū
sunt pro-
ponendæ.

Quod (1) attinet, distinguendum, aut quis habet
unam causam excusandi, aut plures. Si plures, & de qui-
busdam non probaverit, aliis uti intra tempora non pro-
hibetur *l. 21. §. 2. ff. de excus.* cuilibet enim licet pluribus
uti defensionibus, omnes tamen causæ simul proponendæ
videntur: *l. 13. §. 8. ff. h.* (2) Magistratus coram quo causæ
sunt proponendæ, olim erat superior, apud quem per viam
appellationis, tutor debebat sese excusare, quemadmo-
dum & in cæteris muneribus publicis hoc erat constitutum
*l. 1. §. 2. ff. quando appell. & intra quæ temp. l. 5. 7. 11. C. de
appell.* postmodum vero Divus Marcus hanc appellandi
necessitatem remisit. *l. 1. §. 1. ff. quando appell.* Sed an hodie
statim appellari à datione tutoris possit, an vero ab inferio-
ri iudice rejectio causæ sit expectanda, disputant Docto-
res. Utrumque licitum esse ipsi tutori omnino statuimus,
ut vel statim à nominatione & creatione superiorem adire
vel rejecta causa ab inferiore ad superiorem provocare pos-
sit. *l. 4. pr. l. 13. §. 5. l. 16. ff. h. t. l. 18. C. eod. l. 39 ff. de adm.
& per tut. Hahn. in obser. v. ad Wesenb. tit. de excus. n. 4.
ad verba. Vt à creatione tutela tutor non appellet. Vinn. ad
h. l. Ludwel. in suis exc. disp. 3. th. 11. lit. C. Bachov. ad
Treutl. b. t.* Tempus quod indultum est tutori ad causas
suas producendas sunt 50. dies continui. Si nimirum
ipse tutor vel Curator habitat à pupillo intra centesi-
mum lapidem sive 100. milliaria Italica, si vero ultra cente-
simum lapidem à pupillo domicilium habet, in singulos dies
continuos dantur viginti milliaria Italica, quæ apud Ger-
manos quinque faciunt, *Schneidw. ad h. t. §. datur n. 3. & 4.*
qui

*die nullū hoc videtur usū
re, cū et in pagis tutoris
die constitui possint.*

qui mos computandi adhuc hodie observatur, cum regulariter tabellarius ordinarius spatium diei continui quinque milliarum possit absolvere. Hoc vero tempus ratione initii est utile, cum non currat, nisi demum à tempore cognitionis, §. 16. b. l. 13. §. 1. l. 38. ff. b. quo casu vero non amplius utile sed continuum est, ita ut omnes dies nefasti & fasti in quibus jus dicitur & non dicitur numerentur. d. l. 38. ff. b.

XLIII.

His demum causis probandis sexaginta dies sunt dati, ita ut totum negotium & ipsum tempus de excusationibus cognoscendi intra quatuor menses terminari debeat & nihil interest si tutor sit praesens vel absens per procuratorem, si ore si per libellum causas excusationis in iudicio proponat: Cognitione tamen causae opus est, l. 25. ff. b. t. & sic de plano sine causae cognitione per nudum libellum i. e. Rescriptum iudicis hoc negotium expediri nequit, quaecunque enim causae cognitionem requirunt, in iis iudex contradictorem admittat, nec libello supplicatorio, causa nondum cognita statim subscribat. l. 9. §. 1. ff. de officio procons. Datus autem tutor ad universum patrimonium datus esse creditur, nisi ipsa bona nimis sint diffusa. l. 21. §. 2. ff. b. t. Qui vero tutelam alicujus gessit invitus curator ejusdem fieri non compellitur, licet ipse parens adjecerit in testamento quod eundem liberorum Curatorem habere velit, nemo enim cavere potest, ne leges in suo testamento locum habeant. l. 55. de Legat. 1. l. 15. §. 1. vers. privatorum cautione ff. ad Leg. Falcid. Joh. Harpr. h. n. 3. accedit, quod is, qui semel tutela oneratus fuit, non debeat amplius curam ejusdem personae gravari, nam sufficit semel amici commoditatibus consuli: l. 39. §. 2. in f. de adm. tut. l. 20. C. de negot. gest. nisi tamen aliquo in loco per consuetudinem vel statutum tutor invitus Curatorem continuare cogatur, uti in Jure Lubecensi & in Bavaria obtinet. *Mæv. ad jus Lubec. l. 1. t. 7. art.*

quod fere composito gētit

§ 17.

§. 18.

H

l. 13.



§. num. 17. Job. Franc. Baltbas. §. 5. Resolut. Bavar. §. n. 6. &
7. Non tamen tutores se aliter à cura hodie liberant, quam
si, finita per pubertatem tutela, administrationem statim
deponant & ad rationes reddendas sese offerant. Gail. l. 2.
obs. 96. n. 3. & 6. Carpzov. p. 2. c. 11. def. 10. n. 9.

XLIV.

Cæterum Curator qui sese immiscuit negotiis minorum
regulariter sese excusare non potest. l. 17. §. 5. ff. h. l. 2. C. si tut.
falsis alleg. Exceptio est in marito, hic enim ipso jure excu-
satur & ne quidem volens datur curator uxori. l. 2. C. qui
dar. tut. l. 4. C. de excus. licet furiosæ. l. 14. ff. de Cur. fur.
nam ab eo propter reverentiam ipsi debitam non facile red-
ditio rationum exigere potest; Idem dicendum de ipso spon-
so l. 36. & 62. in §. 2. ff. de ritu nupt. l. 1. §. 5. b. marito ta-
men uxorem in judicio defendere permissum est, l. 2. ff. de in-
jur. Inde Jure Saxonico maritus post ingressum thorum sem-
per Curator suæ uxoris existit, & vocatur Germ. der Ehevogt
quia uxorem ejusque res tueri ac defendere debet, Landr.
b. l. art. 45. nisi tamen maritus negotium velit celebrare cum
ipsa uxore, tum enim alio Curatore opus est. Decis. Elect.
24. Carpzov. p. 2. c. 15. d. 24. Idem videtur jure Lubecensi
obtinere. Mæv. ad jus Lubec. l. 1. t. 10. art. 1. n. 19. & tantum
de causis excusationum, quæ fuerunt veræ, remissionem à tu-
telâ concedunt. Sin falso allegatæ ita, ut immunitas ab onere
tutelæ sub- & obreptitiæ fuerit impetrata, tutor vel curator
à tutela non liberatur, sed periculum administrationis ex eo
tempore, quo datus est, ad eum pertinet; §. fin. b. cum ejus-
modi decretum sit ipso jure nullum. l. 1. §. ul. C. si tut. l. Cur.
fals. all. se exc. nam eorum, qui falsis allegationibus aliquid
obtinent, poena est, ut careant impetratis. Cap. super literis
uti Canonistæ, Extr. de Rescript. & nemini dolus suus pa-
trocinari debet. l. 1. ff. de except. dol. d. l. 1. C. si tutor ill. ne eis
circumvenisse judicis religionem profit.

XLV. Sic

Sic vidimus quomodo tutela & Curatela finiatur, à par- **T. xxv.**
 te tutoris justas excusationum causas proferentis, jam ulti- **Initium.**
 mus quoque modus dissolvendi tutelam & curam est adjici-
endus, qui fit per remotionem tutoris & curatoris ab offi-
cio ob crimen suspecti, quando scilicet uterque non ex fide
tutelam vel curam gerit §. 5. b. t. vel saltim metuitur tutelam
non fideliter administraturum, tum enim postulatio hujus
criminis contra tutorem suspectum, locum habet; Dicitur
vero postulatio non actio neque accusatio, negotia enim
Romana erant vel prorsus criminalia, vel prorsus civilia, vel
mixta non prorsus, sed partim criminalia, i. e. quæ non mul-
tum aberant à criminalibus: Ex mere criminalibus oriuntur
accusationes, ex mere civilibus actiones, ex mixtis vero quæ
oriebantur, appellabant medio nomine Postulationes. Ta-
le vero negotium erat crimen suspecti tutoris, quod qui-
dem non prorsus erat criminale, ita ut tutor propterea ulti-
mo supplicio vel pæna corporis afflictiva, vel alia graviori
deberet affici, sed tamen à Crimine non multum differt, quod
in eo quemadmodum in aliis negotiis criminalibus aliquando
pæna sit statuenda, inde describitur Crimē sive postulatio su-
specti, quod sit, actio quasi publica, sive popularis, quam tutor
vel Curator aut ante aut post susceptam tutelam vel curam ob
malam administrationem vel metum illius, convenitur durante
officio ad id, ut vel ab officio removeatur vel eo nomine etiam
puniatur: Dicitur (1) quod sit quasi Publicum Crimen, Publi-
cum crimen communiter dicitur, tripliciter (1) ratione per-
secutionis, ita ut in quo crimine possit quivis ex populo ad-
mitti ad accusandum illud Publicum vocatur. §. 1. inst. de
Publ. judic. in qua significatione Crimen Suspecti hic publi-
cum dicitur. (2) Publicum crimen dicitur ratione Objecti,
quo ipse status Publicus sive Resp. directo læditur, quo si-
gnificatu crimen Suspecti non est publicum, nam illud non

Definitio
 Crimines
 Suspecti.

Origo Crimi-
nis Sus-
pectis

tendit principaliter ad interitum Reip. sed directo in detri-
mentum privati vel pupilli vel minoris (3) Crimen publi-
cum dicitur ratione causæ efficientis nempe legis, ita ut
quod Crimen à Lege pro publico habeatur illud etiam di-
citur Publicum, l. 1. ff. de Publ. judiciis. Hahn. in obs. ad b. t. de
privat. del. n. 3. & sic hæc significatio itidem non pertinet ad
Crimen suspecti tutoris, quippe quod in LL. non pro publi-
co sed quasi publico habetur. Publica vero in hac tertia si-
gnificatione habentur omnia delicta, de quibus in ult. inst. t.
agitur. (2) dicitur in definitione *ob malam administrationem*.
Hæc enim proxima & hujus Criminis causa efficiens est, re-
mota vero est ipsa Lex XII. Tabul. Inde liquet postulatio-
nem hujus Criminis vetustissimam esse, cum LL. XII. Tabell.
fuerint primæ LL. Romanæ & fundam. omnium reliqua-
rum à Romanis latarum Legum, uti in prima disputatione
pluribus est probatum (3) dicitur *durante officio*, inde finita
tutela hæc actio sive postulatio suspecti tutoris non locum
habet, sed si tum ratione malæ administrationis contra tu-
torem vel Curatorem quid prætenditur, instituenda est actio
tutelæ vel Curæ l. 3. §. 6 in f. b. t. l. 1. C. eod. Explicato sic quid
sit crimen suspecti, porro personæ, tum coram quibus actio
instituenda, tum quibus illa, & contra quas competat & de-
mum ipse effectus hujus postulationis est considerandus.

XLVI.

§ I. Personæ coram quibus potest postulatio institui de Jure
Civilis sunt magistratus majores, quales Romæ erat (1) Præ-
tor in urbe Romana (2) Præsides in provinciis, (3) Legati
Proconsulis; Hodie vero tales sunt omnes magistratus ordi-
narii, qui possunt dare tutores & quorum Jurisdictioni tutor
vel curator subest, ijs enim competit quoque potestas eos
removendi, l. 35. ff. de Reg. J. Schneidw ad b. §. 1 n. 1. & quidē
non solum accusatione instituta, vero etiam absq; illa quan-
do; inquisitorie & ex officio tutores removēt, si pertissimis
rerum

rerum argumentis liqueat esse suspectos. l. 3. §. 4 Bartol. ibid. l. fin. ff. de susp. tut. Wes. in parat. b. t. n. 5. ibiq. Henr. Habn. in not. p. 2. indeq; fit ut mortuo etiam accusatore, iudex captam suspecti cognitionem perficere & ex officio quaestione remotionis definire debeat Ref. Pol. de a. 1577. t. 32. §. 3. in f. in verb. indem deñ alle un jede Obrigkeit aus tragende Aunpte. xc. Pbil. l. 1. Ecl. 94. n. 6. De personis quæ postulari sive Criminis suspecti accusari possunt ita arg. Quicumq; non ex fide tutelam administrant, vel licet non administrant sed tantum metuuntur tutelam non fideliter administraturi, illi omnes tanquam suspecti accusari possunt. §. 5. h. Atqui tales possunt esse omnis generis tutores (1) Testamentarii. l. 1. §. 5. ff. b. l. 4 C. de susp. tut. si nimirum morum ante celata vel incognita emerferit improbitas. l. 8. ff. de confirm. tut. Tunc enim iudex sequi potius debet pupilli utilitatem quam hominis, hoc est, testatoris iudicium l. 10. ff. de conf. tut. Brunn. ad l. 4. C. de susp. tut. (2) Legitimi, (3) Dativi & omnis etiam curator uti minoris furiosi, prodigi, ventris & bonorum. l. 3. §. 2. §. 3. l. 11. ff. de susp. tut. Patronus vero tanquam suspectus postulari quidem potest sed sine infamia est removendus, idq; multo magis in personis parentum, quorum æque ac patroni famæ parcendū est, obtinet. l. 2. §. 1. l. 9. ff. de obseq. par. §. patr. prest. Quænam vero sint personæ quæ possunt postulare colligitur ex eo, quod Crimen hoc sit Publicum: Publicū autem hic dicitur in quo omnibus civibus licet accusare, modo legitimam in iudicio standi personam habeant, quin imo in pupillorum gratiā mulieres etiam ex rescriptis Imperatorum ad hanc accusationē sunt admittendæ, licet alias regulariter nō possint stare in iudicio: Non tamen omnes ad hanc postulationem procedere possunt, sed tantū illæ, quæ impensa pietate ductæ moventur erga pupillum, uti mater, (2) nutrix, (3) avia, (4) soror & demum (5) quævis mulier, quam magistratus propensa erga pupillum

§. 2.
Quænam
possunt ac-
cusari Cri-
minis su-
specti,

§. 3.
Quænam
personæ ac-
cusare pos-
sunt Tut. &
Cutat. Cri-
minis su-
specti,



§. 4. pietate cognoverit; *l. 1. §. 7. b.* Quin & minores admittuntur; non aliter tamen nisi ex consilio necessariorum h. e. suorum propinquorum; *l. 1. ff. h.* sine hoc enim non habent legitimam personam standi in iudicio; Impuberes vero cum sint inferioris intellectus, ac inde in iudicio stare inhabiles, accusare suspectum tutorem non possunt, *l. 7. ff. b. l. 6. C. eod.* Tutor quoque suum contutorem accusare non tantum potest sed necessario debet, ne, si id omittat, periculum ex administratione tutelae in eum aequè principaliter redundet. *l. 1. C. de per tut. l. 8. C. de susp. tut.*

XLVII.

§. 5. 9. 10. Dicitur, quod tutores & curatores suspecti postulari possint, videndum igitur quinam sunt & dicantur suspecti, de quibus ita argumentor. Quicumque (1) vel actu fideliter non administrant officium vel (2) metuuntur ex certis signis & argumentis, ne si incipiant tutelam male eam sint administraturi, licet actu non administrarent, illi omnes dicuntur suspecti. Priores iterum sunt duplices, vel personam pupilli vel bona eius negligenter tractant. Qui personam pupilli negligenter curant sunt (1) qui non debitas mercedes pro facultate patrimonii pupilli praëceptoribus constituunt *l. 12. §. 3. ff. de adm. & per tut.* nam quæ ad disciplinas addiscendas sunt necessaria tam filiis quam filiabus suppeditanda sunt. *l. 4. ff. ubi pup. educ. debent.* Non tamen universus reditus in alimenta deputandus est, sed quantum fieri potest, tutor curare debet ut semper quid ex reditu supersit. *l. 3. §. 1. ff. ubi pup. educ. Coler. de alim libr. 3. c. 2. n. 35.* Tales sunt, (2) qui denegant pupillo alimenta: Dupliciter vero hoc fit (1) si tutor est absens & sui copiam non facit, quo casu citandus est à magistratu, & si non comparet, curator pupillo constituitur, qui immittitur in bona ipsius tutoris, eiq; datur potestas, ut ea quæ mora fiunt deteriora, h. e. bona quæ servando servari nequeunt, vendat & ex pretio redacto pupillo alimenta suppeditet

Quinam dicuntur suspecti.

peditet §. 9. b. (2) Si tutor quidem præsens est, negat tamen pupillo propter inopiam alimenta decerni posse, si per mendacium dicit, removendus est & ad præfectum urbi, hodie quemlibet magistratum, puniendus remittitur. *Schuliz in Synops. ad b. t. L. C. verū si nullæ facultates sint pupilli, tutor eum de suo, sine spe recuperandi alere non tenetur, cum nemini officium suum damnosum esse debeat. l. 61. §. 5. ff. de furt. sed mittendus ad proximos qui habent spem succedendi. Carpzov. l. 4. R. 54. Imo tutor expensas repetere potest à pupillo, cum non ferendus sit juvenis, qui dum alitus & studiis imbutus est, sumtus recuset quasi vento vixerit: l. 2. C. de al. pup. pr. est.*

XLIIIX.

Circa res pupilli male versantur (1) qui bona pupilli in proprios usus convertunt. l. 3. §. 5. ff. b. t. (2) qui repudiant bona pupillo ex testamento delata. l. 3. §. pen. ff. b. (3) qui dolo malo res pupilli profundunt. l. 3. §. 5. eod. (4) qui res pupilli sine decreto magistratus alienant. l. 3. §. 13. ff. b. Moribus porro suspectus est sive qui metuitur suspectus (1) qui tutelam emit pecunia, qui non tantum removendus, sed etiam insuper remittendus ad præfectum urbi ut puniatur. §. 10. h. l. 3. §. 15. in f. b. Qui enim onus aliquod emit, id nullo alio fine facere putandus est, quam ut velit defraudare suum pupillum. (2) qui non vult satisdare. l. 1. §. 2. C. de tut. & Cur. qui non satis d. (3) qui jam tum aliam tutelam fraudulenter administravit; (4) qui omisit confectionem inventarii, qui removendus est & simul fit infamis; certum enim est argumentum omissionem inventarii factam esse ad defraudandum pupillum l. ult. §. 1. C. arbitr. tut. In universum, quotiesc. mali mores, statim ab initio in tutore, antequam administratio ipsi concedatur, appareant recte removetur l. 4. §. ult. ff. h. Wes. ff. eod. n. 6. Brunn. in C. eod. tit. ad l. 4. Magis enim expedit rem suam pupillo ab initio salvam esse, quam post vulnus acceptum remedium quærere. l. 5. ff. b. t. l. 1. vers. melius enim est C. quand. liceat unicuiq. sine jud. se vind.

XLIX.

Effectus autem hujus Criminis & accusationis est duplex. alius enim §. 6. 7. est durante adhuc accusatione, alius vero eadē finita; Durante iudicio suspecti

suspecti, interdicitur suspecto tutori vel Curatori administratio rerum pupillarum; Finito vero eo, tum si apparet tutorem vel Curatorem esse suspectum, removetur & quidem vel ob dolum vel ob culpam. Si ob dolum præter remotionem, tutorem manet poena infamiæ. Sin ob culpam si vel latam si ve levem absq; infamia removendus & ad damni dati restitutionem solum condemnandus est; *l. 7. §. 1. ff. h. arg. l. 3. ff. §. ult. l. ult. C. h. t. nec obstat l. 1. §. 5. ff. de obl. & act. l. 32. ff. depositi*, ubi lata culpa dolo æquiparatur: Verum Respond. Dolus & lata culpa inter se invicem æquiparantur in contractibus vel quasi contractibus, eo sc. casu, quando agitur de restitutione damni, non vero in delictis, quando agitur de pæna infligenda; accedit quod semper benignior sententia, tanquam tutior, in casu dubio sit eligenda. *l. 9. ff. de reg. jur. & textus & in l. 3. §. ult. ff. h. l. ult. C. cod. generaliter, h. e. de omni culpa loquantur &*

§. 8. II. intelligendi sint. Tutore vero vel Curatore mortuo non amplius locum habet cognitio suspecti, quia hæc ideo instituitur ut tutor à tutela removeatur, jam per mortem satis ab illa est remotus, præterea hæc actio est pænalis quæ una cum vita delinquentis exspirat nec ad hæredes transit. *l. 20. ff. de panis*: Interim si damnum sit datum ad id restituendum hæredes tutoris vel curatoris mortui actione tutelæ cogi possunt, idque obtinet, si ve tutor ante cæptam si ve post institutam postulationem Suspecti decedat. *§. 8. h. Sneider. inf. h. n. 6.*

L.

§. 12. Demum licet tutor vel Curator, qui actu vel moribus est suspectus, offerat satisfactionem, tamen à tutela removendus est *l. 5. ff. h. t.* melius enim est in tempore occurrere, quam post vulneratam causam remedium quærere, *l. ult. C. in quib. caus. in integr. restit.* & satisfactio tutoris propositum malevolum non mutat, sed diutius grassandi in re familiari facultatem præstat; non autem sola paupertas aliquem suspectum reddit, modo, adsit fides & diligentia quæ æque in paupere ac in divite inveniri potest, cum suspectus non ex facultatibus vel divitiis sed ex mala & fraudulenta administratione, nec non ex malis & improbis moribus dijudicatur. *l. 8. ff. h.* Interim & hoc notandum, legitimum tutorem vel Curatorem, quia est propinquus & cognatus, haud facile etiam si suspectus existat, ab officio esse removendum, cum remotio conjuncta sit cum quadam famæ imminutione. *l. 9. ff. h.* Ne tamen pupillus damnum patiat, Curator Suspecto tutori vel Curatori est adjungendus.

SOLI DEO GLORIA.

Th. IX. notandum quod sub appellatione liberorum omnes illi qui ex nobis descendunt contineantur. *l. 220. ff. de verb. signif.*

154770


AB 154770

ULB Halle 3
005 467 691




V. 17
R





4



TIA
 ITUTIONUM
 TATIO,
 E
LIS ET
R A
 A M
 ENTE GRATIA
 SIDE
 PLISSIMO, ATOVE
 IMO VIRO
INGELBRECHTO
 Digest. Publ. Ordin.
 o ac Præceptore
 venerando.
examini submittet
MAJORI
 X. JUNII
S SCHOTTELIUS
 hicus.
) 90
 TADII,
 MULLERI Acad. Typogr.
 LXXIX.

